

Fol. 229.

1) Kurischen Antress

Wahl 2. u. 3)

PK

12
NICOLAI
REVSNERI

IVRISCONSULTI

Disputationum Iuris Ciuilis

Libri III.

Quibus summa, & quasi medulla continetur totius Iurispru-
dentiae Iustinianae, quatuor Libris Institu-
tionum comprehensa.

EIVSDEM POLITICARVM DISPV-
tationum, Liber I.

IEREMIAE REVSNERI LEORINI OPERA,
& studio in ordinem digesti, & in lucem editi.



ARGENTORATI.

Excudebat Nicolaus Wyrion.

M. D. LXXIX.

4

164
o




R E V S N E R I

DISPENSATION

Rechnung, die sich auf den 1. Januar 1797

bezieht, ist nachstehend

angegeben. Die Summe



AD ILLVSTRISSIMVM
PRINCIPEM, D. PHILIPPVM LVDO-

VICVM, COM. PALATINVM RHENI,
Ducem Boiariæ, Com. Veldentianum,
& Sponhæmium,

IEREMIAE REVSNERI LEORINI
Præfatio.



*S*ummus ille orator, & pater eloquentiæ Iso-
crates, Nicocli Cyprio regi, de regno præcipi-
ens; inter alia præclarè, & sapienter docet
illud. Vt quantum princeps alios superet digni-
tate: tantum etiam ijs antecedit prudentia.
Nihil enim, secundum Deum, prudentia est diuinius: nihil
Reipub. salutaris: nihil principe viro dignius. Estq; hæc vir-
tus reliquarum virtutum omnium dux quædam, & modera-
trix: quæ præscribit, quid faciendum sit, & quid omitten-
dum: quæq; cautioribus semper vtitur consilijs: & in poste-
rum prouidet: omniq; ratione prospectior est. Quam comita-
tur priuata, & publica felicitas: & fiducia, ac securitas prin-
cipis: & beneuolentia, amorq; ciuium: tum memoria posteri-
tatis, laus, gloria, admiratio. Cui equidem adipiscendæ me-
ritò operam dare debent principes, & ij, quibus commissa est
Respublica: modò imperium habere bonum, & fortunatum
velint. Nam, vt Pythagoricus ille dixit, sine prudentia neq;
rex, neque princeps quisquam esse idoneus potest. Quis enim
sine hac virtute, etsi regnum habeat amplissimum, optima

a ij

PRAEFATIO.

eligere: & tanquam ex aliqua specula prospicere futura: & impendentia mala effugere: & se, aliosq; imperio suo subiectos, eripere possit periculis? In quo salus, & calamitas rerum publicarum posita est: quae plerunque sunt tales: quales principum mores, & ingenia. Quare nulli pugili tam conuenit corpus exercere: quam principi ingenium suum; quod multarum rerum memoria, & usu complurium negociorum excolendum est. sed nulla est melior prudentiae comparandae via, & ratio: quam plurimarum artium doctrina: & usus, consuetudoque doctorum, & prudentium virorum: qui Reipub. saluti & principum honori bene consultum cupiunt. Nam, ut Graecus habet Senarius,

σοφοὶ τὸ βασιλεῦσι τῶν σοφῶν συνβουλία.

Qua de causa summos olim reges, & principes tantoperè delectatos fuisse legimus sapientium, & eruditorum hominum familiaritatibus: quorum sermonibus, & consilijs meliores, atq; peritiores euaderent: ne ad Rempub. venirent nudi, atq; inermes: nulla cognitione rerum ornati: nulla scientia instructi. Sic Pericles Anaxagoram, Cato Athenodorum, Hieron Syracusanus Pindarum, & Simonidem domi secum habuit. Sic Platonem Dion, Anacreontem Polycrates, Lysiam Epaminundas, Xenophontem Agesilaus, Zenonem Antigonus, Isocratem Timotheus, Cononis filius, maximo honore habuit. Nimirum sic iudicarunt sapientissimi duces, & reges: tum demum beatas fore Respublicas: si aut studiosi sapientiae eas regerent: aut earum rectores studere sapientiae cœpissent,

PRÆFATIO.

cœpissent, ut sapienter dixit Plato. Similem in te, Philippe
 Ludouice, Princeps illustrissime, industriam, & prudenti-
 tiam animi, quis non maximoperè laudet, & admiretur?
 Qui optimi, & sapientissimi patris auspicio (cuius memoria
 grata & sancta esse nobis debet) & præstantissimorum ho-
 minum ductu, atq; consilio: in honestissimis studijs, optimis-
 que disciplinis, ad quas tibi natura tua dux fuit, felicissimè
 educatus: non solum doctrina animum ornasti tuum: sed plu-
 rimarum etiam rerum experientia, & sapientia ita refersti:
 ut nihil tibi desit ad Rempub. rectè, sapienterque admi-
 nistrandam. Quumque de mortuo parente tuo, principe verè
 pio, & sancto, prouinciæ huius gubernatio tibi commissa
 fuisset: non tu equidem tam paterni imperij hæreditatem,
 quam Reipub. Christianæ curam, & salutem ad te pertinere
 iudicasti: in qua iuuanda, ornandaq; eam nauasti operam, &
 diligentiam: quæ laudato principe digna: & nullis seculorum
 ætatibus intermoritura est: quæ via est ad veram felicitatem,
 immortalemq; gloriam: qua nihil habet vis animi tui sapien-
 tius, aut amplitudo maius, aut fortuna præclarior. Pro qua
 equidem liberalitate, vel potius pietate tua, quæ omnibus vi-
 ctoriarum triumphis est nobilior, atque præstantior, nun-
 quam tibi dignam gratiam habere, nedum referre homines
 tui possunt: quibus magno emolumento, & commodo Reip.
 Christianæ, Scholam tam sapientem, & tam eruditam La-
 uingæ hætenus sustentasti. Nisi fortassis satis magnam gra-
 tiam hanc existimas: quod hæc ipsa Schola tua dabit tibi ali-



PRÆFATIO.

quando sapientes, & cordatos homines, quorum opera, & consilio in Repub. Vti possis: & præter hos dabit etiam egregios tuarum virtutum præcones: qui amplissimum nomen tuum æternis literarum consecrent monumentis. Sanè ego accepti in hac Schola beneficij, per fidelem, & assiduam institutionem integri ferè quinquennij quandiu vixero, perpetuum me fore celebratorem, & prædicatorem spontè, vt debeo, recipio, ac spondeo. Quod vt certum & quasi testatum facerem, Princeps illustrissime: quum alia hoc tempore nulla referenda gratia esset facultas: Scholæ huius tuæ disputationes in Iurisprudencia, proximis annis, quibus isthïc vixi, publicè habitas: & ad ordinem Institutionum Imperialium, in vnum librum concinnatas: meæ in te obsequentissimæ voluntatis, & gratiæ sempiternæ memoriam consecrare volui. Atq; hoc potissimum feci auctoritate, & venia eius, qui harum disputationum auctor, & præses fuit perpetuus: cuius ego benevolentia, & fidei in me verè Germanæ & fraternæ, immò potius paternæ, omnia me debere libenter agnosco, & fateor. Tu libellum hunc in Schola tua natum, & educatum, vt benignè, clementerq; suscipias: & studium meum, pro excellenti tua sapientia, & bonitate, æqui boniq; facias: maiorem in modum supplex oro, atq; obtestor. Calendis Ianuarij
M. D. LXXIX.

INDEX DISPUTATIO.

num Iuris civilis.

LIBER I.

I.	D E Iurisprudentiæ dignitate, & præstantia.	fol.	1.
II.	Partitio, siue œconomia Iurisprudentiæ uniuersæ.		1.
III.	De Iure & Iustitia.		3.
III.	De legibus & moribus.		4.
V.	De Iure personarum.		6.
VI.	De Libertate, & seruitute.		7.
VII.	De patria potestate.		7.
VIII.	De tutela & cura.		9.

Liber I I.

I.	De rerum diuisione, & qualitate.	12.
II.	De Dominio rerum.	13.
III.	De seruitutibus.	15.
III.	De testamentis.	16.
V.	De hæreditate.	19.
VI.	De bonorum possessione.	22.
VII.	De legato.	23.
VIII.	De donatione.	25.
IX.	De usucapione.	26.
X.	De obligatione.	27.
XI.	De contractibus.	28.
XII.	De stipulatione.	30.
XIII.	De priuatis delictis.	30.

Liber I I I.

I.	Liceat ne in iudicio litigare, an non?	32.
II.	De pœna temerè litigantium.	34.
III.	De edenda actione.	35.
III.	De actionibus.	36.
V.	De singulis actionis generibus & formis.	36.
VI.	De interdictis.	38.
VII.	De publicis iudicijs.	39.

Index

INDEX DISPUTATIONUM

num politicarum.

I.	S umma capita, & fundamenta doctrine moralis.	43.
II.	De summo bono, & fine hominis.	49.
III.	De tribus generibus bonorum, & malorum.	45.
III.	De origine & causis uirtutis.	47.
V.	De libertate uoluntatis seu arbitrij hominum	48.
VI.	De affectibus	49.
VII.	De materia, & obiectis uirtutis.	50.
VIII.	De mediocritate uirtutum	50.
IX.	De uirtutum diuisione & partibus.	52.
X.	De prudentia.	53.
XI.	De iusticia.	54.
XII.	De fortitudine.	55.
XIII.	De temperantia.	59.
XIII.	De uirtutum connexionibus, & differentia.	61.



I

NICOLAI REVSNERI
IVRISCONSULTI, DISPUTATIO.
num Iuris Ciuilis

LIBER PRIMVS.

Prima disputatio.

DE IVRISPRVDENTIAE DIGNITATE,
& praestantia.



POSITIO I.

Res publica duabus potissimum rebus continetur: Pietate nimirum, & Iustitia.

II.

Pietas religionis praecipis: Iustitia iuris arte traditur, quae Iurisprudencia nominatur: utraque verò coniuncta ciuitates efficit florentes, ac beatas.

III.

Quamquam vix vlllo modo à religionis commercio, & societate excludi posse videtur Iurisprudencia: quippe ex qua ortum trahit suum: & cuius est quaedam veluti propugnatrix, atque defenstrix.

IIII.

Nam & religionis, earumque rerum, quae ad religionem tuendam pertinent, cognitio, scientiaque prima pars esse putatur Iurisprudenciae: & fons omnis publici, priuatique iuris sunt, non tam Decemviraes illae, quam Mosaicae tabulae: in quibus Decem Edicti Perpetui verba notata sunt manu diuina: ad quae, ceu ad Lydium lapidem omnia in vniuerso iure reuocari omnino debent.

V.

Ex quo praclare Vlpianus definit Iurisprudenciam, rerum diuinarum, atque humanarum notitiam: iusti atque iniusti scientiam.

A

DISPUTATIONVM

VI.

Quæ vt summo in honore semper fuit apud omnes populos: ita sine magno Reipub. incommodo omitti profectò non potest.

VII.

Itaque digni sunt publico odio omnes, qui legum forensium vsu, pijs ciuitatibus interdici: vt & ij, qui præfectorum, & magistratum in Reipub. nutus, iuri ciuili anteferri oportere autumant.

PROBLEMATÀ.

I.

Sitne rectè dictum à Scæuola: nullius artis faciliorem esse cognitionem quam iuris ciuilis.

II.

Positne, et debeat ius ciuile finitum esse, nec nec

III. NON. MAIL. M. D. LXXVR.

Magno Agricola respondente.

Secunda disputatio.

PARTITIO, SIVE OECONOMIA IV.

isprudentiæ Iustinianæ, Libris quatuor Institutionum Imperialium comprehensc.



I. VS est ars æqui, & boni.

II.

Estque triplex. Naturale, Gentium, Ciuile.

III.

Et vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones.

IIII.

Persona statum, & conditionem hominum significat.

Quorum

V.

Quorum alij sunt iuris alieni, ut serui, & filij familias: quorum hi in potestate patria, illi herili sunt: alij verò sui iuris, qui aut sunt in tutela, ut pupilli: aut in cura, ut adu-
 ti: aut neutro iure tenentur, ut maiores XXV. annis.

VI.

Rei appellatione omne, quicquid in bonis est, intelli-
 gitur: siue sit res corporata: ut fundus, aurum, supellex: si-
 ne incorporea, ut seruitutes, & obligationes.

VII.

Ex his sunt quædam diuini iuris: ut res sacræ, sanctæ, res
 religiosæ: quædam humani, ut res publicæ, & priuatæ.

VIII.

Ac publicæ quidem res partim sunt communes omni-
 um, ut aër, mare, littus, flumina: partim vniuersitatis, ut
 theatra, pascua, gymnasia.

IX.

Priuatæ verò aut sunt propriæ singulorum: aut quo-
 rundam communes: aut alienæ.

X.

Sed rerum duo sunt summa capita, Dominium &
 Obligatio.

XI.

Acquiritur dominium iure duplici: partim naturali,
 velut occupatione, accessione, traditione: partim civili,
 vel rerum singularum, quod fit vsucapione, & donatione:
 vel vniuersarum, ut hereditate, siue ex testamento, siue
 ab intestato: itemque bonorum possessione. Quò etiam
 pertinent legata, fidei commissa, & id genus alia.

XII.

Obligatio verò acquiritur, vel ex contractu, vel ex
 delicto.

XIII.

Contractus alij re sunt, ut mutuum, commodatum,

A ij

DISPUTATIONVM

depositum, pignus: alij verbis, vt stipulatio: alij literis, vt
syngrapha: alij denique consensu, vt emptio, venditio, lo-
catio, conductio, societas, mandatum.

XIII.

Adde his etiam quasi contractus, vt negociorum ge-
stionem, tutelæ administrationem, communionem re-
rum, aditionem hæreditatis, solutionem indebiti.

XV.

Prætorum delictorum, quæ civilem faciunt obligati-
onem, genera sunt quatuor: nempe furtum, rapina, dam-
num, iniuria.

XVI.

Pertinent eodem quasi delicta, quibus obligantur iudi-
ces, qui litem faciunt suam: itemque illi, ex quorum cœ-
naculo aliquid deiectum, effusumue sit, quo alicui nocia-
tum est, & alia similia.

XVII.

Porrò Actio nihil aliud est, quàm ius persequendi in iu-
dicio, quod cuique debetur.

XVIII.

Quæ aut ex dominio, aut obligatione nascitur.

XIX.

Quarum illa in rem actio, siue vindicatio: hæc verò in
personam condictio propriè nominatur.

XX.

Præter has est aliud quoddam genus actionum mixta-
rum: quæ tam in rem, quàm in personam dantur: & vtri-
usque actionis illius naturam participant.

XXI.

Sed omnis actio aut est Ciuilis, aut Prætoria, aut Cri-
minalis.

XXII.

Ciuilis est, quæ iure civili prodita est: cuius forma pro-
cedendi in iudicio eodem iure est tradita.

Prætoria.

XXIII.

Prætoria est, quæ Prætoris edicto, penuria actionum civilium, instituta est: ut sunt interdicta de possessione, aut quasi possessione.

XXIII.

Criminalis verò, per quam publica crimina vindicantur: quorum executio est publica, id est, cuius est populo licita & concessa.

PROBLEMATATA.

I.

Ius reuera sit, an opinione tantum?

II.

Positne aliqua esse iuris scientiæ?

III.

Sitne ius prius iustitia, an posterius?

VI. IDVS APRILIS Anno M. D. LXXV.

Jeremia Reusnero respondente.

Tertia disputatio.

DE IVRE, ET IVSTITIA.

I.

Ius à iustitia appellatum est

II.

Iustitia est constans, & perpetua voluntas suum cuique tribuens.

III.

Ius autem est ars æqui, & boni, ut à Celso definitur.

III.

Estque bipartitum, Publicum, & Priuatum.

V.

Publicum ius est, quod ad statum Reipub. spectat.

VI.

Et in sacris, sacerdotibus, Magistratibus consistit, secundum Vlpianum.

A. iij



DISPUTATIONVM

VII.

Priuatum verò, quod ad singulorum vtilitatem spectat.

VIII.

Et ad personas, res, actiones refertur.

IX.

Priuatum ius triplex: Naturale, Gentium, Ciuile.

X.

Ius naturale est, quod homini cum bestijs commune est: sed in homine tamen cum ratione coniunctum.

XI.

Cuiusmodi est maris, & foeminae coniunctio, liberorum procreatio, atque educatio, vis per vim repulsio: quae omnium sunt animantium communia.

XII.

Itemque illa solius hominis propria: vt religio, pietas, gratia, obseruantia, fides, veritas, & caetera.

XIII.

Ius gentium est, quod naturalis ratio, vsu, & necessitate humana exigente, inter omnes gentes constituit.

XIIII.

Cuius generis sunt bella, captiuitates, seruitutes, & obligationes propemodum omnes: praeter stipulationem, & donationem propter nuptias: quae sunt obligationes iuris ciuilis.

XV.

Ius ciuile est, quod proprium est cuiusque populi, aut ciuitatis: vt Romanum, aut Atheniense.

XVI.

Estque aliud scriptum, aliud non scriptum.

XVII.

Scriptum ius est, quod scripto sancit, quod vult, aut iubendo, aut vetando.

XVIII.

Cuius partes sunt sex: Lex, plebiscitum, Senatus consultum,

sultum, Principum placita, Magistratum edicta, Respon-
sa prudentum.

XIX.

Quò etiam pertinent iura municipiorum: quæ statuta
vocantur: & iuris civilis appellatione aliquando veniunt.

XX.

Ius civile non scriptum est, quod voluntate omnium
sine lege vetustas comprobavit: & mos, siue consuetudo
dicitur.

XXI.

Cæterùm ius civile à naturali, & gentium iure sic dif-
fert: quòd hoc perpetuum est, atque immutabile: illud
verò perpèrè mutatur, aut desuetudine, aut lege contra-
riata.

PROBLEMA.

*Utrum ex scripto iure potius, an verò ex æquitate non scripta iudican-
dum sit.*

XII KAL. VIIIBR. M. D. LXXII.

Danne Lato Euingano respondente.

Quarta disputatio.

DE LEGIBVS ET MORIBVS.



POSITIO I.

Mnes homines, partim legibus, partim mori-
bus reguntur.

II.

Leges populari ratione loquendi, ius scriptum appello:
mores vero, ius non scriptum.

III.

Civile enim ius aut scripto constat, aut sine scripto:
quorum illud legitimum: hoc naturale quãdoque nomi-
nat Plato, & Aristoteles.

Scriptum

DISPUTATIONVM

III.

Scriptum Ius est, quod legibus, plebiscitis, senatus consultis, decretis principum, edictis magistratum, auctoritate prudentum constat.

V.

Tot enim partes sunt Iuris scripti: ex quibus omne ius, quo utimur, compositum est: quod propter excellentiam Romanum appellatur: quod eo nullius aut populi, aut ciuitatis ius diligentius scriptum sit: vt testis est Cicero de Oratore.

VI.

Quod etiam Ius Municipale refertur: quod certæ ciuitatis, ex qua denominatur, proprium est, ac peculiare: veluti Atheniensium, aut Quiritium: & aliàs decretum, siue Statutum appellatur.

VII.

Quælibet enim ciuitas ius condendi potestatem habet: cum, vt Aristoteles ait, statuta facere, & ciuitatem condere, coniuncta sint, & iure gentium permixta.

VIII.

Ea siquidem legum natura est: vt neque omnes articulos sigillatim comprehendant: neque omnibus Rebus publicis ex æquo conueniant: sed variæ, & discrepantes, mensurarum instar, pro cuiusque ciuitatis ratione, accommodari soleant.

IX.

Veruntamen in legibus in vniuersum spectanda est ratio, & æquitas naturalis, & salus, atque vtilitas publica, & priuata.

X.

Anima enim legis est ratio: quæ ex fine legis, qui est salus Reipublicæ, trahenda est: & ad principem illam, & summam legem naturæ dirigenda: quæ vera, & æterna est imperandi, prohibendique sapientia.

Illud

XI.

Illud etiam in statutis cauendum est: ne statuant aliquid contra ius, & auctoritatem Principis, aut in præiudicium magistratus superioris.

XII.

Legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire.

XIII.

Itaq; omnes homines lex obligat aut ad obedientiam, aut ad pœnam.

XIII

Sed & ad scientiam lex vnumquemque obligat: cum Iuris ignorantia neminem excuset: & in omni negotio detrimetosa sit.

XV.

Porro Ius non scriptum est, quod sine scripto natum, & longa consuetudine, velut tacita ciuium conuentione, comprobatum, & pro iure, ac lege receptum est.

XVI.

Eadem nanque est ratio taciti, & expressi: & parùm interesse videtur, vtrum suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis.

XVII.

Immò magnæ auctoritatis hoc ius habetur: quod adeò probatum est, vt non fuerit opus scripto comprehendere.

XVIII.

Consuetudinis virtus est, legem non solùm imitari, sed & interpretari, & corrigere, vel prorsus antiquare.

XIX.

Quin immò & ad similes casus per consequentiam producit consuetudo, non minus, ac lex ipsa.

XX.

Quod ita tamen verum est, si consuetudo ratione nitatur.

XXI.

Nam quod non ratione introductum est: sed errore pri-

B

DISPUTATIONVM

mum, deinde consuetudine obtentum: in alijs similibus non obtinet. XXII.

Sed &, præter rationem iuris, ad inducendam consuetudinem, requiritur consensus totius populi, & præscriptio longi temporis, & frequentia actuum, rerumque iudicatarum. Sine his enim quatuor, consuetudo nullius momenti habenda est.

XXIII.

Consuetudini affine est Iudicatum, id est, res, de qua sententia lata est, & decretum interpositum.

XXIII.

Rerum enim perpetuò similiter iudicatarum auctoritas, in ambiguitatibus vim legum obtinere debet, secundum rescriptum D. Seueri Imperatoris.

XXV.

Est & AEquitas cognata consuetudini: quæ nihil aliud est, quàm legitimi iuris correctio, qua parte mancum est: quia generaliter loquitur, neque omnes casus futuros cõplectitur. XXVI.

Eius vis in quatuor rebus potissimùm conspicitur, in interpretando, in corrigendo, in procedendo ad similia, & in suggerendo ea, in quibus ius, aut ratio iuris deficit.

XXVII.

Cæterùm Ius ciuile vt bifariam statuitur: ita eadem ratione vicissim tollitur, atque abrogatur: nimirùm lege noua, & consuetudine contraria: cùm nihil tam sit naturale, quàm eodem genere quodque dissolui, quo colligatum est.

PROBLEMA SIVE QVAESTIO.

Cùm Ius Ciuile non minus in more, quàm in legibus consistat: quæri non immeritò potest, quid faciendum sit, si consuetudo cum lege pugnet? Vtrum consuetudo legi, an lex consuetudini præiudicet?

XIII KAL. SEXTILES M. D. LXXIII.

Ioanne Ortelio Cygnocomæo respondente.

Quinta

Quinta disputatio.
DE IVRE PERSONARVM.

I.

IVS omne vnius hominis proprium, & solius hominis causa constitutum est.

II.

Quod totum versatur aut in personis hominum, aut in rebus eorum, aut factis.

III.

Ita ius aliud est personarum, aliud rerum, aliud actionum.

III.

Sed de iure rerum, & actionum alias: nunc de iure personarum videndum: quod omnium est dignissimum, & antiquissimum.

V.

Est autem ius personarum nihil aliud, quam status, & conditio hominum.

VI.

Persona enim hoc loco cum ipsum hominem: tum qualitatem eius, conditionemque denotat.

VII.

Personarum triplex est diuisio: vna naturalis: altera iuristarum: tertia civilis.

VIII.

Natura omnes homines aut mares, aut foeminae fecerunt.

IX.

In multis autem iuris articulis deterior est conditio foeminarum, quam masculorum.

X.

Sed Hermaphroditus eius sexus censetur: qui in eo preualet.

DISPUTATIONVM

XI.

Iure gentium omnes homines aut sunt liberi, aut serui.

XII.

Liberi sunt, quibus, quod cuique facere libet, faciendi ius, & potestas est: nisi vi, aut iure prohibeantur.

XIII.

Serui verò, qui contra naturalem libertatem, potestati dominorum subiecti sunt.

XIIII.

Fiunt autem serui, aut natiuitate, vt vernæ: aut captiuitate, vt mancipia: aut venundatione, vt pileati, siue emptitij.

XV.

Liberi verò aut sunt ingenui: id est, ex matre libera semper liberi: aut liberti, id est, ex iusta seruitute manumissi, & quasi liberati.

XVI.

Iure ciuili omnes homines aut sunt sui iuris, vt patres familiâs: aut alieni, vt serui, & filij familiâs.

XVII.

Serui in manu sunt, & potestate dominorum: qui in eos animaduertendi, & per eosdem acquirendi: non etiam occidendi vt olim, aut quoquo modo sæuiendi ius habent.

XVIII.

Filij verò familiâs, patriæ potestati, id est, patris, auique paterni imperio, subiecti sunt: quæ & ipsa potestas in pietate potius, quàm in atrocitate consistere debet.

XIX.

Ea duobus potissimum modis constituitur: nimirum iustis nuptijs, & adoptione.

XX.

Totidemque modis dissoluitur: morte scilicet, & captiuis deminutione.

XXI.

Cate-

Cæterùm sui iuris sunt, familiarum suarū principes: siue puberes, siue impuberes: qui patres familiās appellantur.

XXII.

Quorum non est vna, eademquē omnium conditio, & qualitas: siquidem alij sunt in tutela: alij in cura: alij neque sub tutela, neque sub cura sunt.

XXIII.

In tutela sunt pupilli, & impuberes: qui sunt minores annis quatuordecim: & sine auctoritate tutoris negocia sua idoneè gerere non possunt.

XXIII.

In cura sunt puberes, & adulti: minores annis uiginti quinque: qui rebus suis vtiliter præesse nequeunt, sine curatore: cuius fidei bona ipsorum commissa sunt.

XXV.

Qui verò neque sub tutela, neque sub cura sunt: vt sunt maiores xxv. annis: hi liberum habent arbitrium rerum suarum administrandarum: nisi aut animi, aut corporis vitium impedimento sit: vt in prodigis, furiosis, mutis, surdis, & fontico morbo affectis: quibus etiam inuitis dantur curatores: qui legitimi appellantur.

PRID. NON. IANVAR. M. D. LXXIII

Ioanne Leonhardo Chemnatero Eq. Narisco respondente.

Sexta disputatio.

DE LIBERTATE, ET SERVITUTE.

PROBLEMATA.

I.



Itne libertas cum seruitute orta, aut certè cognita?

II.

Sitne libertas, potestas viuendi, vt velis? seu,

B iij

DISPUTATIONVM

vt Stoicis placet, ἐξουσία αὐτοπραγίας;

III.

Possitne aliquis reuera esse liber? & an legibus obnoxius, liber dicendus sit, nec ne?

IIII.

Liber an solus sapiens? & an omnis stultus sit seruus?

V.

Seruitus vtrum naturæ, an culpæ sit imposita?

VI.

Sernorum appellatio vtrum à seruando, hoc est, à more te liberando defluxerit, nec ne?

VII.

Sitné vnica duntaxat seruitus? & an in bello capti homines, seruatiq̄ue, hodie serui fiant, an non?

VIII.

Possitné quis ad seruiendum in perpetuum se obligare, nec ne?

IX.

An Dominus, serui proprii occisor, lege Aquilia, an vtrò Cornelia, de sicarijs, teneatur?

PRID. KAL. QVINCTILES M. D. LXXV.

Aegidio Voitho Neagoræo respondente.

Septima disputatio.

DE PATRIA POTESTATE.

POSITIO. I.

Patriæ potestatis iure Ciuili tam magna habetur ratio: ut naturalis coniunctionis sæpè habeatur nulla.

II.

Nam filios familiæ, solos filiorum nomine dignos censet: quòd in potestate sint, & quòd familiæ, agnationisq̄ue
ius

ius habeant: ex quo iura suorum hæredum tantùm consequuntur: alij verò, qui in potestate non sunt, pro extraneis habentur, & filij esse quodammodò desinunt.

III.

Constituitur autem patria potestas duobus potissimùm modis: aut natura, vt nuptijs: aut lege, vt adoptione.

IIII.

Nuptiæ, siue matrimonium, est legitima maris & foeminae coniunctio: consortium omnis vitæ: diuini & humani iuris communicatio.

V.

Sed vt iustæ, & legitimæ sint nuptiæ: requiritur primò, vt inter eos, qui contrahunt, connubium sit.

VI.

Deinde vt tam masculus pubes, quàm foemina viripotens sit.

VII.

Tertiò, vt consentiant vtrique si sui iuris sunt: aut parentes eorum si in potestate sunt.

VIII.

Postremò ne legibus, aut moribus matrimonium prohibitum sit.

IX.

Prohibitum autem est legibus matrimonium inter liberos & parentes vsque in infinitum: & inter eos, qui parentum, & liberorum vicem obtinent: siue sint propinqui, siue affines: item quæ inter fratres & sorores: & qui fratrum sororumquæ loco habentur.

X.

Inter consobrinos verò iustum est quidem matrimonium iure Ciuili: sed moribus nostris iniustum.

XI.

Sed inter compriuos, etiam post natos ex nouo parentum suorum matrimonio liberos, nuptiæ constare possunt: quippe cum affines non sint, aut propinqui.

Qua

DISPUTATIONVM

XII

Qua ratione etiam duo fratres, sorores duas: & pater filiusque matrem, & filiam ducere possunt: nulla obstante affinitatis aut cognationis necessitudine.

XIII.

Sponsalia etiam impedimento sunt nuptijs: idque propter animi destinationem, & honestatem mutui consensus.

XIIII.

Semper enim in coniunctionibus, non solum quod licet, sed etiam quod est honestum spectandum est.

XV.

Porro Adoptio est etiam ratio quaedam civilis: qua & extranei aliquando fiunt filij familiars, qui alioqui sui iuris erant: quae arrogatio proprie dicitur.

XVI.

Quae & ipsa, cum aliquid commune habeat cum affinitate, interdum nuptias impedit.

XVII.

Inter parentes siquidem, & liberos adoptiuos nuptiae Iure Ciuili contrahi non possunt, quemadmodum & inter fratres & sorores, adoptione adhuc constante.

XVIII.

Adoptio vero non ius sanguinis, sed agnationis, familiaeque affert: quae patriam potestatem includit: & non solum in testamentis, & successione legitima, sed & alijs in partibus iuris Romani longo interuallo superat naturalem sanguinis coniunctionem.

XIX.

Ceterum dissoluitur patria potestas non solum morte parentum: sed & capitis deminutione: id est, aut libertatis, aut ciuitatis, aut familiae amissione: & praeterea summae & perpetuae alicuius dignitatis adeptione: quae parentelae loco est, & a curia filium familiars liberat.

VII. ID. SEPTEMBR. Anno M. D. LXXVI.

Huldricho Stibero Bipontino respondente.

Octava disputatio.
DE TUTELA, ET CURA.

I.

Magna est iuris civilis sapientia: quòd cum omnium aliorum hominum: tum verò in primis pupillorum, & minorum, rationem habuit maximam: quos patria potestate dimissos, quum per ætatem semetipsos regere: & rebus suis vtiliter præesse nequeant: in potestate tutorum, aut curatorum aliquantisper esse voluit.

II.

Quod profectò ius æquissimum esse, manifestum est: quum nihil sit tam conueniens rationi naturali: quàm ut is, qui perfectæ ætatis non est, alterius consilio, & prudentia regatur.

III.

Sed impuberes quidem propriè in tutela: puberes verò, & adulti in cura esse dicuntur.

III.

Tutela (auctore Seruio) est ius, & potestas in caput liberum: ad tuendum eum, qui ob ætatem impuberem sua sponte se defendere nequit.

V.

Cuius species tres sunt: Testamentaria, Legitima, Honoraria.

VI.

Primum enim lex XII. tab. permisit parentibus: dare testamento tutores liberis suis impuberibus, quos in potestate habent.

VII.

Deinde, si nullus sit tutor testamentarius: lex ipsa dat tutorem: qui legitimus appellatur: hoc est, agnatum proximum, ut heredem, sic tutorem esse iubet: & exemplo

C

DISPUTATIONVM

huius patronū, & patrem, fratremque fiduciarium: quòd nimirū tutelæ onus, cum successionis emolumento coniunctum esse debeat.

VIII.

Si verò nullus neque testamentarius, neque legitimus, vel quasi legitimus sit: à iudice, aut magistratu datur tutor: quippe ad cuius officium pertinet, tutores non habentibus constituere.

IX.

Quod tamen officium suum non solet impartiri magistratus: nisi postuletur ab ijs, ad quos spes hæreditatis pupilli pertinet: aut saltem ab alijs, sanguine, & necessitudine coniunctis.

X.

Sed in hoc diligenter animaduertendum est: qui nam dare tutores, & qui dari, & quibus, & quomodo possint: & quodnam sit officium tutorum, & quæ potestas.

XI.

Possunt dare tutores testamento omnes, quibus lex nominatim hoc permisit: vt est pater, auusque paternus: in quorum potestate sunt liberi: quandoquidem ius patriæ potestatis, cum iure testamenti quodammodo coniunctum esse videtur.

XII.

Sed & iure institutionis, mater, & auia, filio, nepotiue suo, hæredi instituto, dare tutores potest testamento: quæadmodum & patronus, & patrona, & alius quilibet extraneus: quo casu tamen iudicis auctoritate, & confirmatione opus est.

XIII.

Potest dari testamento tutor, non solùm paterfamiliàs: sed & filiusfamiliàs: qui in publicis muneribus, cuiusmodi est tutela, pro paterfamiliàs habetur.

Immò

XIII.

Immò etiam seruus: siue directò in testamento tutor datus, vt seruus proprius: siue sub conditione, vt alienus.

XV.

Furiosus verò, & minor xxv annis, non nisi cessante impedimento, tutor esse potest.

XVI.

Quin & foemina tutrix esse prohibetur: nisi fuerit mater, aut auia: quæ secundis nuptijs, & Senatusconsulto Velleiano aperte renunciauerit.

XVII.

Tutela nanque virile est officium: & vltra sexum infirmitatis muliebris positum.

XVIII.

Ac testamento quidem datur tutor liberis impuberibus, & in potestate constitutis: & tam posthumis, quàm in lucem, viuo adhuc patre, editis: etiam inuitis, atque ex hæredatis.

XIX.

Liberis verò naturalibus, & emancipatis, non rectè datur tutor: quum nemo, nisi suis hæredibus, & quos habet in potestate, tutores dare possit.

XX.

Quouis autem modo, & quouis loco, ac tempore, rectè datur tutor: dum modò non certæ rei duntaxat, aut causæ, vt arrator: sed personæ potissimùm attribuatur.

XXI.

Quanquam & moribus, & rebus pupilli tutor præponitur: & non alteri tantùm parti separatim.

XXII.

Consistit enim officium tutoris partim in administratione bonorum: partim in auctoritate præstanda.

XXIII.

Ac administratio quidem postulat fidem: & diligētiam:

C ij

DISPUTATIONVM

quam nō minorem adhibere debet tutor in rebus pupilli:
ac bonus paterfamilias in rebus suis.

XXIIII.

Itaque damnum, quod sua culpa tutor fecerit in adm-
nistrando, præstare cogitur.

XXV.

Auctoritas verò tutoris, in omni re gerenda pupillo
necessaria est: eaque purè, & in ipso negotio, & à præsentē
tutore interponenda.

XXVI.

Nam quod sine tutore auctore gestum est à pupillo: nulla
liis est momenti: & datur in integrum restitutio.

XXVII.

Potest quidem pupillus, si est septennis, stipulari, & ac-
quirere, aliosque sibi obligare: etiam sine suo tutore.

XXVIII.

Ceterò qui promittendo sine tutore ipse non obligatur:
ne naturaliter quidē: nisi ex eo sit factus locupletior: quia,
secundum Vlpianum, ex vno latere constat contractus: &
ex pupilli voluntate tota pendet obligatio.

XXIX.

Immò ne hæreditatem quidem fructuosam adire sine
tutore potest.

XXX.

Legatum verò sine eo agnoscere potest: quippe in quo
nullum est obligationis periculum.

XXXI.

Cæterùm finitur tutela morte, & capitis deminutione,
aliisque modis compluribus.

XXXII.

Maximè verò pubertate: quæ in maribus, quarto deci-
mo: in foeminis, duodecimo anno completo æstimatur.

XXXIII.

Quo tempore facti puberes, in suam quidem tutelam
veniunt,

veniunt, omnique potestate liberantur: sed tum demum accipiunt curatores: propterea quod adhuc eius sint ætatis: ut sua negocia per se tueri non possint.

XXXIII.

Verum non tam eorum personis, quam bonis, curatores dantur: sine quorum consensu, & voluntate, ea alienare quidem non possunt: sed contrahere, & se obligare possunt: quemadmodum & testamenta facere: & nuptias contrahere.

XXXV.

Atqui non solum adulti, & minores, suos habent curatores: verum etiam nonnulli maiores: qui ob animi, corporisve morbum ipsimet suas res curare non possunt: ut sunt furiosi, & prodigi: itemque surdi, & muti, & fontico morbo affecti.

XXXVI.

Immò & pupillis aliquando curatores dantur: ex causa legibus cognita: si aut idoneum tutorem non habeant: aut habeant eum, qui ad tempus se excusat.

XXXVII.

Penes eosdem autem magistratus, curatoris: penes quos tutoris dandi est potestas.

XXXVIII.

Sed curatores institui testamento non possunt: designari tamen possunt: & designati hoc modo, à prætore, aut iudice confirmantur.

XXXIX.

Porrò officium iudicis in dando tutore, & curatore est: curare, ut satisfient, rem pupilli saluam fore: & nisi satisfierit, captis eos pignoribus coercere.

XL.

Quod si ab eo neglectum fuerit: in eum, eiusque hæredes actio datur subsidiaria: qua quicquid damni ex bonis ad-

DISPUTATIONVM

ministratorum refarciri non potest, ipsimet prestare coguntur.

XL I.

Minimè verò liberum est, tutelam, curam ue suscipere, aut non suscipere.

XL II.

Tutela enim, vt & cura, munus est publicum, & ciuile: quod cuius etiam inuito imponitur: lege, more, imperio eius, qui iubendi habet potestatem.

XL III.

Nisi tamen iustam habeat, & legitimam excusationem: quam intra prefinitum tempus, proponere apud magistratum, & probare debet.

XL IIII.

Causæ autem excusationum legitimarum sunt variæ, atque multiplices: quarum plures allegare, vtile est: si fortè in vnius, aut alterius probatione defeceris.

XL V.

Prima est, Actas: minor scilicet annis xxv: & maior lxx annis.

XL VI.

Secunda, Impedimentum aliquod publicum: vt artium liberalium, & medicinæ professio, militia, potestas, magistratus dignitas, & absentia Reipub. causa.

XL VII.

Tertia, Impedimentum priuatum, aut domesticum: vt paupertas, valetudo aduersa, liberorum multitudo, literarum, negociorumque imperitia.

XL VIII.

Postrema est casus aliquis fortuitus: vt lis, & inimicitia cum pupillo, aut patre pupilli capitalis, statusque controversia.

XL IX.

Ceterum si tutor, curatorue non rectè administret: etiã inuitus

inuitus quandoque, vt suspectus, remouetur.

L.

Nam publica est suspecti tutoris accusatio: quæ tam seruis, quàm liberis patet: etiam fœminis: si modò pietati quodam affectu, in iudicium sint productæ.

LI.

Finita autem quæquomodo administratione, rationes reddere debet curator, aut tutor: in qua si dolum commississe conuincitur: in duplum condemnatur.

PRID. KAL. MARTII. M. D. LXXVI.

Jeremia Reusnero Leorino respondente.

NICOLAI REVSNERI

IVRISCONSULTI, DISPUTA

tionum Iuris Civilis

LIBER II.

Prima disputatio.

DE RERVM DIVISIONE ET

Qualitate.

I.

Ei appellatione, & causæ, & iura continentur.

II.

Ex quo res alia corporalis, alia incorporealis dicitur.

III.

Quarum vtraque bipartita est.

IIII.

Omnes siquidem res, aut sunt iuris diuini, aut humani.

Diuini.



DISPUTATIONVM

V.

Diuini iuris sunt, veluti res sacrae, religiosae, sanctae.

VI.

Quarum ea est natura, & qualitas: vt nullius sint in bonis: neque vlllo modo alienari, aut obligari possint.

VII.

Humani verò iuris sunt, quae ad publicos, & priuatos hominum vsus destinatae sunt.

VIII.

Itaque aliae sunt publicae, aliae priuatae.

IX.

Ac publicae quidem res, aut natura, aut iure gentium, aut moribus ciuitatis, hominum commercio sunt exemptae.

X.

Eorum tria sunt genera: Communium, Publicarum, Vniuersitatis.

XI.

Communes sunt, vt aër, mare, littus: quarum rerum & vsus, & proprietas communis est omnibus hominibus.

XII.

Publicae, veluti flumina, ripae, portus: quae etsi omnium gentium vsibus patent: tamen in iure sunt populi, atque imperij.

XIII.

Vniuersitatis verò, vt fora, basilicae, theatra: quae omnibus alicuius ciuitatis ciuibus sunt inter se communia.

XIIII

Quae autem priuatae sunt: singulorum existunt: earumque dominium ab his tam naturali, quam ciuili iure acquiri, transferrique omnimodò potest.

XVII. NOVEMBRIS. M. D. LXXVI.

Quirino Austriaco Teublicio respondente.

Secunda

Secunda disputatio.
DE DOMINIO RERVM.

I.

Dominium abs domo, vt & dominus, nomen habet: quasi ius sit in domo, id est, in patrimonio nostro: quòd nimirum olim domesticis finibus cuiusque dominium circumscribebatur.

II.

Est autem Dominium, ius de re quapiam corporea liberè disponendi, aut vindicandi: nisi lex, conuentione absistat.

III.

Proprium domini est, vt re sua quis liberè fruatur.

IIII.

Suæ enim quisque rei moderator, & arbiter est: eiusque fruendæ, vtendæque liberam habet facultatem.

V.

Sed est tamen hæc libertas lege definita: quippe quæ magis est domina rerum nostrarum: quàm nosmetipsi.

VI.

Partes domini sunt duæ: nempe Proprietas, & possessio: quarum illa in iure, hæc in facto potissimum consistit.

VII.

Id enim est cuiusque proprium: quo quis fruitur, atque vtitur: eaque demum solida proprietas appellatur: in qua vsusfructus inest.

VIII.

Possessio igitur, vt & libera fruitio, cum proprietate coniungenda est: vt verum, & integrum dominium constitutur.

IX.

Nihil enim commune habet proprietas cum possessione: si ab ea separata fuerit.

D

DISPUTATIONVM

X.

Sed hoc tamen perpetuum non est.

XI.

Fit enim aliquando, vt alius sit dominus, alius fruatur: id est, vt possessio à dominio separetur.

XII.

Quod sanè ius dominio est proximum: dōminium tamen non est: ac ne pars quidem eius propriè dicitur.

XIII.

Iraque non incommodè fortassis imperfectum, & quasi dōminium à quibusdam appellatur.

XIIII.

Cuius sunt duo genera, Vtile, & Directum.

XV.

Proprietas siquidem nuda, id est, à qua vsus fructus deductus est, dōminium constituit directum: cuiusmodi est quasi dōminium feudi, emphyteuseos, & superficiej.

XVI.

Vsus fructus verò à proprietate seiunctus, vtile dōminium efficit: quale est vasalli, emphyteutæ, & superficiarij.

XVII.

Porrò dōminium rerum, initio generis humani, ex possessione naturali cœpit: deinceps verò iuris vi, & auctoritate septum, munitumque est.

XVIII.

Cuius equidem distinctionem necessariam fecit aliorum partim ignauia, partim auaritia, partim luxus, atque immodestia.

XIX.

Quemadmodum igitur ex lege dōminium: ita ex apprehensione eius, possessio acquiritur.

XX.

Iure autem duplici acquiritur dōminium: aut naturali, aut ciuili.

Iure

XXI.

Iure naturali, id est, gentium, res acquiruntur, quæ nullius sunt: si alioqui sunt in commercio: siue tales sint natura, vt aër, mare, litus, & quæ in his continentur, aues, pisces, feræ bestia, & alia: siue euentu quodam, aut facto hominis: vt thesaurus, præda belli, res pro derelicto habita: quarum rerum omnium occupatio naturaliter nos dominos facit.

XXII.

Neque verò solùm res, quæ nullius sunt, naturali iure fiunt occupantis: verùm etiam, que alicuius sunt, fiunt apprehendentis: si modò iusta, & naturalis traditio domini interueniat.

XXIII.

Eodem iure etiam per accessionem res nostræ fiunt: siue ea sit continua, vt in alluione, & circumluione: siue disiuncta, vt in partu, & foetura animalium.

XXIII.

Quò etiam refertur ius specificationis, & commixtionis: itemque implantationis, insitionis, inædificationis: vt & scripturæ, & picturæ, cæterorumque, quæ superfici ei nomine continentur: in quibus omnibus locum habet regula: accessionem cedere principali, & partem toti, & superficiem fundamento.

XXV.

Iure autem ciuili res priuatæ fiunt, aut singulæ, aut vniuersæ.

XXVI.

Ac singulæ quidem modis quatuor: vsu capione, donatione, legato, fidei commisso.

XXVII.

Vniuersæ verò, vt hæreditate, bonorum possessione, arrogatione, & libertatû conseruandarû causa additione.

XXVIII.

D ij

DISPUTATIONVM

Iisdem porrò modis dominium amittitur, quibus ac-
quiritur. XXIX.

Consistit autem dominium præcipuè in rebus corpo-
ratis: quæ in hominum ius, ac commercium cadere pos-
sunt. XXX.

Rerum enim incorporearum, vt sunt seruitutes, & ob-
ligationes, propriè dominium acquiri non dicitur, quip-
pe quæ non sunt, sed intelliguntur: & in iure consistunt.

XXXI.

Itaque nec tradi, nec vsucapi, nec per in rem actionem
vindicare possunt. XXXII.

Plerunque verò dominium acquiritur animo, & cor-
pore: id est, voluntate, possidendi, & apprehensione rei
corporalis simul concurrente.

XXXIII.

Solo autem animo retineri quidem amittiue: sed non
etiam acquiri possessio potest.

XXXIII.

Acquirimus verò non solum per nos metipsos: sed eti-
am per eos, quos in potestate habemus, siue liberos, siue
seruos.

XXXV.

Finis domini est pax, & concordia publica, & emolu-
mentum, quo vitæ præsidium paratur.

XXXVI.

Suum enim quisque tenere, debet: & scire illud: quod
suum non est, id ad alios omnibus modis pertinere.

XXXVII.

Vnde etiam, propter inopiam, & indigentiam homi-
num, mutua rerum necessariarum communicatio, atque
permutatio, ex æquo & bono instituta est: quæ est fons, &
origo omnium contractuum, atque obligationum.

XXXVIII.

Cæterum affine dominio, est quasi dominium: quod
habet.

habet is, qui bona fide, iustoque titulo rem possidet: itemque ius in re specificum: quod habet creditor in re sibi oppignorata.

XXXIX.

Nihil autem magis pugnare videtur cum distinctione dominiorum: quam vniuersalis illa rerum omnium communio: quæ est mater iniuriarum, atque rixarum: qua admissa, nec domus, nec respublica, nec vitæ humanæ ratio vlla diu constare poterit.

IDIBVS FEBRVARII M. D. LXXIII.

Ioanne Lato Lauing. norespondente.

Tertia disputatio. DE SERVITVTIBVS

I.

IN bonis nostris esse possunt non solum res corporales, quas oculis intuemur: sed etiam incorporales, quas animo complectimur: quæ iura rerum appellantur.

II.

Quorum ex genere sunt seruitutes: quæ utilitatem nobis afferunt, aut rebus nostris.

III.

Ex quo seruitus alia est Personarum, alia Rerum, siue prædiorum.

IIII.

Personalis seruitus est ius à re personæ debitum: vt vsus, & vsus fructus.

V.

Quæ duo ita differunt: quòd vsus necessitate sola: vsus fructus utilitate, & voluptate definiatur.

VI.

Plus enim iuris est in vsufructu, quàm in vsu: & vsus

D. iij.

DISPUTATIONVM

quidem sine fructu esse potest: fructus sine usu esse non potest.

VII.

Persimilis verò est vsui domus, habitatio: sed hæc potius in factò, quàm in iure consistit: transferriquæ in alium potest: quo ipso ab usu potissimum differt.

VIII.

Prædialis seruitus est ius habendi, agendiquæ aliquid in fundo vicini: prædio, cui debetur, inhærens: eiusquæ respiciens utilitatem,

IX.

Sed Prædium aliud est Rusticum, aliud Urbanum: quorum alterum pecoris, atque fructuum: alterum habitandi solùm causa comparatum est.

X.

Ita seruitus rerum quædam urbana, quædam rustica dicitur: hæc fundorum, illa ædificiorum est: hæc in solo, illa in superficie consistit.

XI.

Prædiorum rusticorum iura sunt Iter, Actus, Via, Aqueductus.

XII.

Quibus rectè annumerantur Aquæ haustus, Pecoris ad aquam appulsus: Item ius pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, & id genus aliæ seruitutes: quæ catenus seruiunt vicino prædio: quatenus opus sit: non quatenus sit utile, aut fructuosum.

XIII.

Prædiorum urbanorum iura sunt hæc, vt parietum, vt stillicidiorum, vt luminum, & si quæ sunt generis eiusdem: quæ & affirmatè, & negatè concipi solent.

XIII

Cæterum omnes seruitutes aut testamento constituntur: aut pacto, & stipulatione.

Nonnun-

XV.

Nonnunquam verò vsucapione; & præscriptione: sæpe etiam consuetudine, aut lege municipali.

XVI.

Commune omnium seruitutum est, vt sint perpetuæ, & indiuiduæ.

XVII.

Finis verò, suæ vtilitatis causa re vti posse aliena.

XVIII.

Sua enim res nemini seruit.

XIX.

Neque seruitus vlla appellanda est, quæ nec hominum; nec prædiorum est seruitus: & quæ non seruit, id est prodest ei, cui debetur.

XX.

Pluribus autem modis seruitutes amittuntur: vt confusione, cessione, vsus intermissione, rei denique ipsius interitu.

XXI.

Sed personarum seruitutes, præter hos modos, etiam morte, & capitis deminutione perire certum est.

PROBLEMA.

Verà ne sit, & perfecta definitio vsus fructus: qua dicitur esse ius vtendi fructu re aliena, salua eius substantia?

VI. IDVS FEBRVARII. Anno M. D. LXXVII.

Georgio Reinhardo Preitschedelio respondente.

Quarta disputatio.
DE TESTAMENTIS.

I.



Vm omnis hæreditas aut ex testamento deferatur: aut ab intestato, prius de testamentis differendum est.

Testamenta

DISPUTATIONVM

II.

Testamentum est testatio mentis, hoc est, voluntatis, & sententiæ nostræ iusta contestatio de eo, quod post mortem nostram fieri volumus,

III.

Estque duplex, Perfectum, & Imperfectum.

III.

Et vtrunque partim est scriptum, partim nuncupatiuū.

V.

Perfectum voco, quod certis iuris solennibus constat: quod paganum appellatur.

VI.

Imperfectum verò, quod iustum quidem, sed minus solenne est: cuiusmodi est testamentum militare.

VII.

Ac testamenti quidem in scriptis solennia potissimum sunt tria: quæ præter eius naturam extrinsecus adiuncta sunt.

VIII.

Primum enim in eo requiritur assignatio hæredis, facta manu testatoris, aut alterius cuiuspiam, qui eius rei gratia adhibitus est.

IX.

Deinde septem testium classicorum, rogatorumque præsentia: & eorundem subscriptio, obsignatioque.

X.

Postremò vnus, perpetuusque testamenti contextus: nullo alieno actu, negotioque interpolatus.

XI.

Quòd si vnum ex his solennibus desit: iniustum est pagani in scriptis testamentum: neque vllius est momenti.

XII.

Adeò vt ex eo nec legata, nec fidei commissa debeantur.

Neque

XIII.

Neque obstat iuris Pontificij auctoritas: quo solennia eiusmodi testamentorum iam olim sublata sunt.

XIII.

Non tamen omnino necessaria est scriptura in testamentis.

XV.

Potest enim testamentum coram testibus voce nuncupari: absque vlla subsignatione testium, aut scriptura: vt & alia testationes sine scriptis haberi possunt.

XVI.

Idque propter occupatos, & properantes testatores receptum est: sed maioris fidei causa plerunque adhibetur notarius, aut tabellio publicus: qui voluntatem testatoris coram septem testibus palam nuncupatam scripto excipiat: & rei gestæ veritatem publico instrumento comprobet.

XVII.

Imò verò potest quis sibi testamentum in scriptis facere: & filio impuberi per nuncupationem substituere.

XVIII.

Sed si quis hæredem tantum nuncupet: legata verò in tabulas conferat: codicilli magis videntur: quàm tabulæ testamenti.

XIX.

Quemadmodum & militare in procinctu testamentum plerunque nuncupatur, sine alijs solennibus: & militis voluntas, pro iusto testamento est.

XX.

Quod non tam ob imperitiam militum, & simplicitatem: quàm ob armorum occupationem, & periculorum functionem, ac communem Reipub. vtilitatē indultū est.

XXI.

De rusticis hominibus idem ne sentiendum sit: non immeritò dubitatur.

E

DISPUTATIONVM

XXII.

Planè in testamentis inter liberos, & ad pias cauffas factis, remitti aliquando posse solennia certum est.

XXIII.

Sed hoc est singulare, neque temerè ad consequentias producendum.

XXIIII.

Cæterùm fundamentum & caput testamenti est hæredis institutio: quippe sine qua nullum omnino valet testamentum, ne militare quidem.

XXV.

Propriè autem hæres institui dicitur extraneus: non etiam filius familiâs: qui suus patri hæres agnoscitur.

XXVI.

Itaque vt locum habeat hæredis extranei institutio: aut suum hæredem non extare: aut, si extet, nominatim exheredari necesse est.

XXVII.

Præteritio enim filij familiâs, qui legè, & natura hæres existit, nisi ex hæres scriptus sit, vitiat testamentum, & ipso iure efficit nullum.

XXVIII.

Cauffam autem exheredationis iustam, & legitimam esse oportet.

XXIX.

Quæ tamen nisi ab hærede scripto probetur: eiusmodi testamentum, tanquàm inofficiosum, id est, non ex officio pietatis factum, à iudice rescinditur.

XXX.

Porro vt testamentum valeat: non solùm testatoris ipsius, & hæredis: sed & testiū conditio animaduertenda est.

XXXI.

Ac testatori quidem conditio, testamenti, & mortis: testium verò, solius testamenti: hæredis denique, & testamenti,

menti, & mortis, & aditæ hæreditatis tempore spectatur.
XXXII.

Cumque testamenti factio sit iuris publici, non privati:
ex legis solius pendet auctoritate: neque vllius hominis
privati voluntate, aut pacto mutatur, aut tollitur.

XXXIII.

Lege autem adempta est factio testamenti, vt & testi-
monij dictio, quibusdam ob ætatem, vt pupillis.

XXXIII.

Nonnullis ob statum & conditionem, vt seruis, & pere-
grinis, & ab hostibus captis: & de statu suo incertis.

XXXV.

Alijs ob nequitiam, & morum improbitatem: vt prodi-
gis, & ijs, quos lex iubet esse intestabiles.

XXXVI.

Plerisque ob pœnam, vt deportatis, & capitis reis, &
quorum memoria post mortem damnata est.

XXXVII.

Quorum omnium ea est conditio: vt neque testatores,
neque testes esse testamentarij possint: plerique tamen
possint scribi hæredes: si ciues Romani sint.

XXXVIII.

In relegatis aliud constitutum est: quia cum bonis reti-
nent ciuitatem.

XXXIX.

Moribus verò nostris fœminæ licet testari, & ex alterius
testamento capere possunt, etiam sine tutore auctore: alijs
tamen in testamento dicere testimonium non possunt.

XL.

Corporis quidem infirmitas non obest testamentis: sed
mentis saltem sanitas requiritur.

XLI.

Itaque mutis, & surdis, & cæcis suo quodam, & singula-
ri modo testari licitum est.

E ij

DISPUTATIONVM.

XLII.

Furiosi verò testamentum, vt & testimonium, non aliter valet: quàm si ante furorem consummatum sit.

XLIII.

Sanè filius familiâs, cuiuscunque ætatis sit, nisi de castrensi, aut quasi castrensi peculio, in quo pro patrefamiliâs habetur, testari nullo modo potest: ne patre quidem volente, aut consentiente.

XLIIII.

Immò ne testis quidem in testamento paterno idoneus esse potest: in alieno verò potest.

XLV.

Sicut nec è diuersò in testamento filij, pater rectè testis adhibetur: propterea quòd reprobatur iure ciuili fides domestici testimonij.

XLVI.

Eodem modo neque hæres, neque quisquam ex familia testatoris simul testis esse potest: quippe cuius res est, & negocium.

XLVII.

Legatarius verò secus: modo sibi legatum ipse manu sua non adscripserit.

XLVIII.

Atque his modis fieri debent testamenta iure ciuili Romanorum: in quibus si quid est omissum: nulla sunt: & iniusta: uec vllam habent auctoritatem.

XLIX.

Sed & si fuerint omnibus suis numeris perfecta, & absoluta: plerunque tamen noua aliqua causa accedente, ea infirmari certum est.

L.

Idquè duobus potissimùm fit modis: aut rupti, aut irriti vitio.

Rupti

LI.

Rupti quidem vitio, vt agnatione sui hæredis: aut alio
postea nouo testamento facto.

LII.

Irriti verò, vt non adira hæreditate; aut qualibet capitis
deminutione.

LIII.

Quod autem semel iure ciuili ruptum, irritumue factum
est testamentum: amplius haud restituitur.

LIIII.

Itaque ex huiusmodi testamentis non directò adiri pos-
test hæreditas: sed bonorum petenda est possessio: datur-
que contra legitimos hæredes doli mali exceptio.

VII. KAL. SEXTILEIS. M. D. LXXVII.

Ioanne Iacobo Hainzelio, Patricio Augustano, respondente.

Quinta disputatio. DE HAEREDITATE.

I.

HAEREDITAS iuris nomen est: vt & familiæ:
quæ cum ea transfertur.

II.

Sic dicta ab eo, quòd hæres eadem in familia,
& domo hæreat: vt cum defuncto propemodùm idem esse
videatur.

III.

Quæ quidem nihil aliud est, quàm successio in vniuer-
sum ius: quod defunctus habuit.

IIII.

Itaque non minus onera, quam emolumenta hæredita-
ria complectitur.

E. iij

DISPUTATIONVM

V.

Estque duplex, Testamentaria, & Legitima.

VI.

Quarum illa ex testamento, hæc ab intestato defertur.

VII.

Quandiu autem potest valere testamentum: tandiu legitimus hæres non admittitur.

VIII.

Sed testamentariorum hæredum tria sunt genera: vnum suorum: alterum necessariorum: postremum extraneorum.

IX.

Sui hæredes sunt filij familiæ, in proximo gradu constituti: qui non alienam, sed iam quodammodo suam hæreditatem accipiunt.

X.

Necessarii sunt, serui cum libertate testamento instituti: propter cuius præmium, etiam inuiti, hæreditatem adire coguntur.

XI.

Extranei verò, qui extra familiam, & potestatem testatoris sunt: quo in numero sunt patribus quidem emancipati: matribus verò, quilibet liberi: patronis autem serui post institutionem manumissi.

XII.

Possunt autem hæredes institui testamento omnes, non modo liberi: sed etiam serui.

XIII.

Ac serui quidem tum proprii, tum alieni: sed hi tamen non, nisi dominorum iussu, hæreditatem adire possunt.

XIIII.

Neque solum vnum, sed & plures hæredes, quot quisque voluerit, instituere licet.

XV.

Sed & in defectum primorum hæredum alios sufficere:
& vnum

& vnum vni, plures pluribus, plures vni, vnum pluribus, adeoque ipsos hæredes institutos inter se substituere testator potest.

XVI.

Idque non solum directò, sed etiam obliquè, per fidei commissum: & tam pupillis, quàm alijs quibusvis: quarum illa substitutio pupillaris: hæc verò vulgaris nominatur.

XVII.

Sed & ignotos, & quos nunquam vidit testator, hæredes instituere potest: sicut & pauperes Ecclesiæ, & ciues municipij alicuius.

XVIII.

Incertæ autem personæ nihil testamento relinqui posse manifestum est: quoniam certum esse debet testatoris consilium.

XIX.

Quemadmodum nec illis, quos lex iubet esse improbos, atque intestabiles: ut sunt deportati, & in metallum damnati: itemque hæretici, & ex damnato concubitu nati.

XX.

Tot autem partes hæreditatis testator facere potest, quot voluerit.

XXI.

Sed solennis hæreditatis diuisio fit in duodecim vncias: quæ assis appellatione continentur.

XXII.

Quòd si as non sit consumptus in hæredum institutione: locum habet ius accrescendi.

XXIII.

Nam id, quod deest, accrescit scriptis hæredibus, pro rata cuiusque portione: quum nemo paganus ex parte testatus, & ex parte intestatus decedere queat.

XXIII.

Plures autem hæredes instituti, in æquales partes vocantur: si non cuique suæ partes assignatæ sint.

Partibus

DISPUTATIONVM

XXV.

Partibus verò quibusdam hæredibus assignatis, quibusdam verò non: illam partem habebunt, quæ aliis deerit, hæredes sine partibus instituti.

XXVI.

Cæterùm in hæredis institutione tres qualitates, sicut in alijs legitimis actibus, obseruantur.

XXVII.

Nam aut purè fit institutio, aut sub conditione, aut in diem.

XXVIII.

Si in diem fiat, pro pura institutione habetur, fauore testamentorum.

XXIX.

Sed conditio non modò possibilis, verùm etiam honesta esse debet: eaque ab hærede omninò præstanda est.

XXX.

Impossibilis enim conditio hæredis institutionem non vitiat: quia vltimæ voluntates potius interpretandæ sunt, vt valeant, quàm vt pereant.

XXXI.

Si igitur est testamentum iustum, & est mortuus testator, & conditio institutionis existit: delata esse intelligitur hæreditas: quam quis, si velit, iam consequi potest.

XXXII.

Ac suis quidem hæredibus, simul atque delata est hæreditas, statim acquisita intelligitur, etiam ignorantibus.

XXXIII.

Itaque non adire, sed retinere hæreditatem dicuntur: quippe qui sine aditione vlla, ipso iure hæredes sint, nec tantùm hæredes sint; verùm etiam eos, quorum in potestate sunt, sine aditione hæredes faciant.

XXXIII.

Quanquàm & quum se bonis, atque hæreditati immiscuerunt,

cuert, magis hæredes fieri videantur: vt tùm non nisi im-
puberibus beneficium abstinendi detur.

XXXV.

Sed extraneis hæredibus delata hæreditas, tùm demum
acquisita videtur: si abijs adita sit: quùm nihil iuris in ip-
sorum personas, vt in suis hæredibus, morte testatoris
continuetur.

XXXVI.

Adire autem hæreditatem dicitur extraneus, quum
eam acquirere se velle declarat, aut verbo, aut re ipsa, fa-
ctoue aliquo: vt si pro hærede se gerat, id est, pro domino.

XXXVII.

Quod ne cum detrimento suo faciat: inuentarij reme-
dio vti debet: quo confecto, statim absque mora, & vllius
periculi metu, adire hæreditatem potest.

XXXVIII.

Quam si semel amplexus fuerit: ab ea, nisi sit miles, aut
minor viginti quinque annis, amplius liberari nequit.

XXXIX.

Quo facto, hæres ad vniuersum ius defuncti peruenit:
omnibusque hæreditarijs oneribus fit obnoxius.

XL.

Haftenus de hæreditate testamentaria: deinceps de le-
gitima videndum.

XLI.

Ea tum demum locum habet: si pater familiars intestatus
decesserit: quod quatuor modis fieri solet: aut testamento
non facto: aut non iure facto: aut rupto, irritoue facto: aut
denique ab hærede destituto.

XLII.

Triplex autem est ordo successionis legitimæ: primus
liberorum: secundus parentum: tertius propinquorum.

XLIII.

In singulis verò ordinibus, graduum proximorum ha-
betur ratio: & vt ordo ordinem, sic gradus gradū excludit.

F

DISPUTATIONVM

XLIII.

Propior enim gradu, propior est successione: pares vero gradu, pares quoque habentur successione: saluo tamen iure representationis, maxime in descendentibus.

XLV.

Prima igitur causa in succedendo est suorum heredum, id est, liberorum: non solum eorum qui in potestate sunt, verum etiam emancipatorum, & adoptiutorum: immo & naturalium duntaxat liberorum: sine vlllo sexus discrimine: modo natalibus restituti, & ciues Romani sint.

XLVI.

Quorum sunt duo quodammodo genera: vnum naturalium, vt filiorum: alterum succedaneorum, vt nepotum & neptium: in quibus ius suorum heredum non re vera primum, sed in patre ipsorum consistit: cuius personam quodammodo representantes, autam hereditatem tanquam paternam consequuntur.

XLVII.

Prioris generis heredes, in capita: posterioris vero in stirpes hereditatem partiuntur.

XLVIII.

Quod si sui heredes extent nulli: parentibus, si quidem soli sint, ab intestato succedendi potestas datur: neque habet locum ius successionis: cum sit contra naturam: vt auus representet nepotis sui patrem, id est, filium suum: quasi ab eo genitus sit.

XLIX.

Itaque omnibus agnatis cognatisque preferuntur: exceptis solis fratribus, ac sororibus, ex vtroque latere coniunctis: cum quibus parentes defuncti, æquis partibus diuidunt hereditatem in capita: cum liberis vero eorum, in stirpes.

L.

Si vero

Si verò neque liberi, neque parentes vlli extent: agnatis, cognatisque proximis hæreditas ex lege defertur.

LI.

Proximus autem est, quem nemo antecedit, aut mortis, aut testamenti destituti tempore.

LII.

Neque interest, siue vnus, siue plures sint eiusdem gradus: quando, quidem ex æquo tunc omnes admittuntur.

LIII.

Itaque duorum fratrum, aut sororum liberi, hæreditatem patruum, aut auunculi, in capita diuidunt, non in stirpes: quoniam non in parentum locum tunc succedunt: sed suo quodam & proprio iure veniunt.

LIIII.

Prior verò gradu, remotiorem alterum excludit: nulla habita ratione successionis, aut repræsentationis.

LV.

Sic fratrum filijs nulla in locum suorum parentum præmortuorum olim data fuit successio: sed iure tamen Cæsareo aliud hodiè constitutum est: vt sint patruo hæredes cum alijs patruis suis, ipsius defuncti fratribus: facta scilicet diuisione hæreditatis in stirpes, non in capita.

LVI.

Cæterùm agnatis, cognatisque omnibus deficientibus, vir & vxor sibi mutuò succedunt: & ne his quidem extantibus, ad extremum succedit fiscus principis: qui generale quoddam habet in bonis omnium subditorum dominium.

VI. ID. IXBR. M. D. LXXVII.

IOAN. LVDOVICO HAINZELIO Patr.

Augustano, respondente.

F ij

DISPUTATIONVM

Sexta disputatio.

DE BONORVM POSSESSIONE.

I.



Successio alia est ciuilib, alia prætoria.

II.

Quarum illa hæreditas: hæc bonorum possessio nominatur: vtriusque vna, eademque vis, & efficientia est.

III.

Sed de hæreditate aliàs: nunc de possessione bonorum videndum.

IIII.

Bonorum possessio, secundum Vlpianum, est ius persequendi, retinendiue patrimonij, siue rei, quæ cuiusque, quum moritur, fuit.

V.

In qua non minus, ac in hæreditate, commoda, & incommoda sunt indiuisa.

VI.

Et partim ex testamento, partim ab intestato defertur.

VII.

Ex testamento duplex datur bonorum possessio: contra tabulas, & Secundum tabulas.

VIII.

Contra tabulas quidem, liberis testamento præteritis: sed non etiã ex hæredatis: siue sint in potestate, siue nõ sint.

IX.

Secundum tabulas verò, hæredibus testamento institutis: quò facilius sit hæreditatis persecutio.

X.

Sed ab intestato plures dari solent bonorum possessiones: olim quidem octo: hodie verò quatuor duntaxat.

Prima

XI.

Prima est, Vnde liberi, quæ datur liberis tum emancipatis, tum suis, in bonis patris.

XII.

Secunda, vnde legitimi, quæ agnatis ab intestato deferuntur: item quæ patronis, eorum quæ liberis, in bonis liberti.

XIII.

Tertia, vnde cognati, quæ proximis cognatis competit: in quorum numero sunt quoque agnati emancipati.

XIII.

Quarta, vnde vir, & vxor: quæ marito in bonis vxoris, aut contra vxori, in bonis mariti conceditur: post agnatos omnes, & cognatos: excluso fisco.

XV.

Præter has ordinarias bonorum possessiones, est adhuc alia quædam extraordinaria: quæ, Ex nouis legibus, vocatur: datur quæ ijs, quibus qualicumque iure nouo ex testamento, aut ab intestato hæreditas defertur.

XVI.

Quoties igitur ex iure civili quis hæres esse non potest: toties bonorum possessio necessaria est.

XVII.

Sufficit autem qualicumque animi testificatione apud iudicem facta, eam agnoscere: quemadmodum & ciuilitè animo solo acquiri, omitti quæ hæreditas potest.

XVIII.

Sed intra certum tempus tamen ea agnoscenda est: nempe intra annum vtilem, à liberis, & parentibus: ab alijs vero, intra centum dies vtilis.

XIX.

Cæterò qui ius petenti omissum, continuò vel eiusdem gradus personis accrescit: vel alijs, qui proximo gradu sunt, acquiritur.

VII. IDVS SEPTEMBR. M. D. LXXVII.

Michaële Humelio Boio respondente:

DISPUTATIONVM
Septima disputatio.

DE LEGATO.

I.

Legandi verbum aliàs generale est, omnemque vltimam voluntatem complectitur: aliàs verò speciale, vt hîc: & ad testamentarias donationes rerum singularum refertur.

II.

Ex quo legatum denominatum est: vel quòd ex hæreditate legatur, & quasi delibetur: vel quòd legis modo, id est, verbis directis, & ciuilibus relinquatur: quorum illud Florentino: hoc Vlpiano placuit.

III.

Est autem Legatum nihil aliud, quàm donatio quædam, à defuncto relicta.

III.

Cuius olim genera fuerunt quatuor: Per vindicationem, Per damnationem, Per præceptionem, & Sinendi modo: sed hodiè vna, eademque omnium legatorum vis est, & ratio: vt & fidei commissorum: quibus legata per omnia ex æquata sunt.

V.

Primùm autem de personis videndum: quibus, & à quibus legari possit: deinde de rebus, quæ nam legari possint, aut non possint.

VI.

Possunt legare omnes, qui testamentum facere possunt.

VII.

Et qui hæredes institui possunt, iisdem quoque legari potest.

VIII.

Itaque filijs familiàs, & impuberibus, & seruis, adeoque omnibus

omnibus ijs, qui ex testamento capere possunt, rectè legantur: tametsi factionem testamenti ipsimet non habeant.

IX.

Neque vni solùm, sed & duobus, pluribusque legari potest: siue coniunctè, siue disiectè: quo casu, si partes expressæ non sunt, pariter inter eos diuiditur legatum: idque si caducum fiat: non fisco, vt olim: sed legatarijs coniunctis accrescit.

X.

Planè hæredi, abs semetipso, & pro qua parte hæres est, legari non potest.

XI.

Quemadmodum nec seruo hæredis: nisi sub conditione: propterea, quòd nemo simul hæres, & legatarius esse queat.

XII.

Sed & incertæ personæ legari non posse constat: nisi euentu aliquo, aut progressu temporis certa futura sit.

XIII.

Ex certis autem personis incertæ personæ legatum valet.

XIII.

Et siue nominatim alicui legetur: siue per demonstrationem officij, aut necessitudinis, aut corporis, nihil interest.

XV.

Nam demonstratio plerunque nominis vice fungitur: nec interest, falsa, an vera sit: modò sit certum, quem testator voluerit.

XVI.

Quemadmodum nec error in nomine, nec falsa causa adiecta legato nocet.

XVII.

Aliud est, si sub modo, & conditione legatum sit: quòrum altero deficiente, legatum vitiatur.

Possunt

DISPUTATIONVM

XVIII.

Possunt autem relinquere legata ab omnibus, ad quos venturum est aliquid morte nostra: vel dum eis datur: vel dum non adimitur.

XIX.

Itaque non solum hæredes scripti, sed & legatarij, & fidei commissarij, & qui ab intestato succedunt, legatis præstandis onerari, obstringique possunt.

XX.

Secus verò est, si quid alteri morte nostra, sine villo beneficio nostro, aut etiam inuitis nobis, obueniat: quos idcirco legatis onerari non posse manifestum est.

XXI.

Porro legari possunt omnes res, quarum est commercium.

XXII.

Et non solum res corporales, vt domus, fundus, suppellex: verum etiam incorporales, vt nomen, liberatio, vsus fructus.

XXIII.

Sed & alienæ res legari possunt: modò alienas esse testator sciat: quod legatario probandum est.

XXIIII.

Tunc enim intelligitur hæres damnatus eas redimere, si possit, iusto precio: aut, si non possit, earum æstimationem præstare.

XXV.

Neque interest, vtrum sint liberæ, an creditori obligatæ: quippe luere eas hæres cogitur: nisi, id legatarius vt faceret, testator cauerit.

XXVI.

Immò etiam res, quæ nondum in rerum natura sunt, si quidem futuræ sunt, legari possunt: vt fructus arborum, & foetus pecorum, & similes.

Semper-

XXVII.

Semperque cedit legato accretio rei, vt & decretio.

XXVIII.

Quòd si res legata sine factò hæredis pereat: legatario perit: secus autem, si culpa, aut mora in tradendo hæredis interueniat.

XXIX.

Cæterùm res sacræ, & publicæ, & quarum non est commercium, legari nullo modo possunt.

XXX.

Sua quoque res nemini legari potest: nisi fortassis sub conditione: si viuo testatore alienata fuerit.

XXXI.

Sed si quis rem, suã quasi alienã legauerit: valet legatum.

XXXII.

Plus enim valet, quod in veritate est, quàm quod in opinione.

XXXIII.

Sanè si in genere res quædam legata sit: nisi de certo sensisse testator probabitur: non hæredis, sed legatarij est electio.

XXXIIII.

Sic & legatum optionis ad legatarium, eiusque hæredes, si ipse non optet, pertinet.

XXXV.

Quòd si plures sint, & in optando dissentiant: vnus, sorte qui optet, constituitur.

XXXVI.

Potest autem legatum relinquì & purè, & in diem, & sub conditione.

XXXVII.

Neque solùm ante hæredis institutionem, sed & post hæredis, legatarijue mortem, tam legare, quàm fidei committere licet.

DISPUTATIONVM

XXXVIII.

Quin etiam pœnæ nomine legari potest: dum modò conditio nec impossibilis, nec probrosa, nec illicita fuerit.

XXXIX.

Nam si sit contra leges, aut bonos mōres: aut si effici nullo modo queat. pro non adiecta habetur.

XB.

Cæterum quum vltima voluntas hominis vsque ad mortem esse debeat ambulatoria: liberum est testatori, legatum alicui ascriptum, in totum, aut pro parte adimere: & vel sibi retinere: vel in alium quibusuis verbis transferre.

XCI.

Nonnunquàm etiam auctoritate iuris, contra voluntatem testatoris, legata minuuntur, & hæredi conseruantur: nimirum lege Falcidia: quæ plus, quàm dodrantem, in legata consumere vetat.

XLII.

Mortuo autem testatore statim rei legatæ dōminium, in legatarium, eiusuè hæredem transire fingitur.

XLIII.


Cuius persequendæ causæ, & personali, & reali, & hypothecaria actione uti potest: sed ab vna ad alterum redeundi potestas haud datur.

Octaua disputatio.


DE DONATIONE.

PROBLEMAT.

I.

 Itne idem munus, quod donum?

II.

 Sitne donatio à donando dicta, quasi donii datio? Sitne

III.

Sitné donatio iuris gentium, an civilis? & an sit contractus, an verò modus acquirendi dominij legitimus;

III.

An remuneratio sit donatio? & an is, qui remuneracionem accipit, beneficium accipiat, nec ne?

V.

An sine traditione perfecta sit donatio?

VI.

An donatio propter nuptias valeat, nec ne?

VII.

An donatio inter vivos, etiam ultra quingentos solidos, sine insinuatione facta, valeat, an non?

VIII.

Sitné donatio, mortis causa, ultima voluntas? & an sit eadem cum legato?

IX.

Possitné revocari donatio, & quatenus?

FRID. NON. APRILEIS. M. D. LXXIII.

Paulo Bocino Augustano respondente.

Nona disputatio. DE V S V C A P I O N E.

I.



Erum dominia non tam traditione, quam vsucapione acquiruntur, secundum Vlpianum.

II.

Vsucapio est ius possidendi, quæsitum continuatione temporis, lege definiti.

III.

Quæ ex eo sic dicta est, quòd vsu, id est, possessione, res per eam capiatur, & acquiratur.

G ij

DISPUTATIONVM

III.

Cuius species sunt complures: pro varia scilicet, & diuersa rerum vsucapiendarum natura, & qualitate.

V.

Nam res quidem mobiles triennio: immobiles verò, inter præsentes, decennio: inter absentes, vicennio vsucapiuntur.

VI.

Ex quo vsucapio alia triennialis, alia decennialis, alia vicennialis nominatur.

VII.

Præter has à Iureconsultis adhuc aliæ quædam præscriptionum formæ recensentur: cuiusmodi est præscriptio tringinta, aut quadraginta annorum: vt in rebus sacris, & furtiuis, bona fide possessis: itemque centum annorum, aut potius eius temporis, cuius initij memoria non extat: qualis requiritur in rebus principis, & Ecclesiæ, & ciuitatis: & in seruitutibus, quæ causam non habent continuam.

VIII.

Actionum verò vsus, auctoritasque aliàs est anni, vt iniuriarum: aliàs biennij, vt doli, & fraudis: nonnunquam quadriennij, vt rerum à fisco emptarum: aliquando etiam quinquennij, vt in officiosi testamenti.

IX.

In vniuersum autem omnes in personam actiones, ex contractibus ortæ, triginta annorum spacio præscribi, atque terminari solent: ne scilicet lites hominum fiant immortales, & vitæ modum excedant.

X.

Finis enim est vsucapio sollicitudinis, & periculi litium: quæ rerum dominia in incerto esse non patitur.

XI.

Sed vt vera, & legitima sit vsucapio: possessione opus est: quam quis suo nomine habeat.

Nam.

XII.

Nam sine possessione, contingere non potest vsucapio.

XIII.

Eam verò non modò iustam, id est, bona fide, & iusto titulo secundum leges factam: sed & continuatam, hoc est, vno tenore, contextuque temporis, sine vsurpatione aliqua, perfectam esse conuenit.

XIII.

Possessionis enim causa est. titulus: possessio verò, vsucapionis.

XV.

Et bona fides possessoris pro dominio est, quandiu possidet.

XVI.

Nèque quicquam ad vsucapionem interrupta possessio proficit: per quam ferè semper incidere solet rei alienæ conscientia: quæ bonæ fidei est contraria.

XVII.

Planè in vsucapione quoque rem eiusmodi esse oportet: quæ legibus vsucapi non sit prohibita: & quæ in se vitium non habeat.

XVIII.

Nam vbi lex prohibet vsucapionem: ibi bona fides possidenti nihil prodest.

XIX.

Vitium autem vel ex natura rei, vel ex accidenti nascitur.

XX.

Ex natura quidem, vt si res sit sacra, aut religiosa, aut commercio hominum exempta.

XXI.

Ex accidenti verò, vt si res furtiua sit, aut vi possessa.

XXII.

Sic nec homo liber, nec seruus fugitiuus vsucapi potest.

G. iij

DISPUTATIONVM

XXIII.

Fisci quoque res, & iura vestigalium vsu capi non posse
constat.

XXIIII.

Quanquam si annis quadraginta eas res quis possederit:
præscriptione tutus est eiusmodi possessor.

XXV.


Cæterum vitia possessionum à maioribus contracta
perdurant: & successorem auctoris culpa comitatur.

IDIB. SEXTIL. M. D. LXXIII.


Ioanne Ortelio Cygnocomæo respondente.

Decima disputatio.
DE OBLIGATIONE.
PROBLEMATATA.

I.

 Itne obligatio alia naturalis, alia ciuilib?

II.

 Sitne obligatio alia voluntaria, alia non vol
untaria?

III.

Possitne sine consensu obligatio contrahi? & si non possit,
an, & quomodo quis inuitus contrahere dicatur?

IIII.

An omnis obligatio ex contractu, maleficioúe, aut
quasi, nascatur? an etiam ex proprio quodam iure, & varijs
caussarum figuris, secundum Paulum Iureconsultum?

V.

An factum sine lege, & lex sine facto pariat obligatio-
nem, nec ne?

•Pacti

VI.

Pacti nudi an actio vlla esse possit, aut obligatio?

VII.

Possitne obligatio tempore induci, aut finiri, nec ne?

VIII.

Pupillus an naturaliter obligetur?

IX.

Servus an naturaliter duntaxat, an etiam civiliter obligetur?

X.

Obligatio vtrum per alium nobis acquiratur, nec ne?

XI.

An ex obligatione naturali detur actio civilis, an sola exceptio?

XII.

Sitne ex vis obligationis: vt quid nostrum faciat? an potius, vt alium nobis obstringat, ad dandum aliquid, aut faciendum?

X. KAL. OCTOBR. M. D. LXXIII.

Ioanne Leonbardo Chemnatero, Eq. Narisco respondente.

Vndecima disputatio. DE CONTRACTIBVS.

F.

Ræcipuum obligationis genus est contractus: quo nihil habet vita humana frequentius aut vtilius.

II.

Est autem Contractus (secundum Theophilum) duorum, pluriumve in idem conuentio, & consensus, ad constituendam obligationem, & vt alter alteri fiat obnoxius.

Estque

DISPUTATIONVM

III.

Estque duplex, Certus, & Incertus.

IIII.

Contractuum incertorum, formæ sunt quatuor: Do, vt des: Do, vt facias: Facio, vt des: Facio, vt facias.

V.

Quorum ea vis est, & natura: vt nisi stipulatione, aut rei traditione perficiantur: nullam actionem pariant: sed pro nudo pacto habeantur.

VI.

Sed certorum contractuum plura sunt genera, & diuersa.

VII.

Aut enim verbis, aut literis, aut re, aut nudo consensu, id est, sola fide data, & accepta, constant.

VIII.

Ac verbis quidem contrahitur obligatio, ex stipulatione.

IX.

Eam Pomponius definit esse verborum cõceptionem: quibus is, qui interrogatur, daturum, facturumue se id, quod interrogatus est, respondet.

X.

Propriè autem stipulatio est rogantis: sponsio verò promittentis: vtraque autem coniuncta, verborum obligationem efficit.

XI.

Nam & promissio absque interrogatione nuda est duntaxat pactio, pollicitatioque: & nisi interrogationem continuo sequatur responsio: nulla est verborum obligatio.

XII.

Literis contrahitur obligatio: quæ non fit verbis, sed nominibus, & perscriptionibus.

XIII.

Quo ex genere sunt apochæ, & syngrapha, aliæque scripturæ

pturæ: quæ fidei obfirmādæ, cōtestandæquæ caussa dantur.
XIII.

Re contrahitur obligatio: cūm præter consensum alicuius rei datio, traditioquæ interuenit.

XV.

Cuius generis sunt Mutuum, Commodatum, Depositum, Pignus.

XVI.

Mutuum est contractus, quo quantitas alicui ea lege creditur: vt ex eodē genere, aliquando tantundē reddat.

XVII.

Commodatum est contractus, quo res gratis certum ad vsum, ea lege conceditur: vt eadem finito vfu, cum exacta diligentia restituatur.

XVIII.

Depositum est contractus, quo res mobilis ea lege apud alterum deponitur: vt eam ipsam, cūm reposcetur, bona fide reddat: aut quanti debitoris interest, præstet.

XIX.

Pignus est contractus, quo res mobilis, aut immobilis obligatur creditori: quò magis in tuto erit creditum.

XX.

Postremo consensu contrahitur obligatio: cūm nec stipulatio, nec scriptura, nec rei traditio ad constituendam obligationem requiritur: sed nudus sufficit contrahentium consensus.

XXI.

Ex quo genere sunt Emptio & venditio, Locatio, & conductio, Societas, Mandatum.

XXII.

Emptio, & venditio est contractus, de re certa, certo precio, in perpetuum, domini iure, obtinenda, nudo consensu factus.

H

DISPUTATIONVM

XXIII.

Locatio, & conductio est contractus, de re quapiam, certa mercede, aut facienda, aut ad tempus vtenda, nudo consensu factus.

XXIIII.

Societas est contractus, de re, aut negociatione honesta, eiusque fructu, damnoque inter aliquos communicando, nudo consensu factus.

XXV.

Mandatum est contractus, de negotio alieno, sine mercede, periculo mandatoris, bona fide administranda, nudo consensu factus.

XXVI.

Atque hæc quatuor contractuum genera hoc modo inter se differunt: quòd postremum hoc bonæ fidei est: cætera verò pleraque stricti iuris: in illo vterque contrahentium: in his vnus duntaxat obligatur.

XXVII.

Porrò similes quodammodo contractibus sunt quasi contractus: vt negociorum gestio, tutelæ administratio, communio rerum, aditio hæreditatis, & indebiti solutio,

XXVIII.

Sed in eo tamen differunt: quòd in his ignorantes, & absentes quoque obligantur: in illis verò nequâquam: quum vbique requirant consensum: cui nihil magis repugnat: quàm error, & ignorantia.

XXIX.

Potest autem acquiri obligatio, non solum per nosmet ipsos: sed etiam eos, quos in potestate habemus: veluti seruos, & filios familiars: itemque per alios bona fide possessos.

XXX.

Sed in peculio aduentitio filiorum familiars, solus vsus fructus patri debetur: non etiam proprietas: in castrensi verò,

verò, aut quasi, neque ususfructus, neque proprietas.

XXXI.

Cæterùm obligatio aut ipso iure tollitur, aut ope exceptionis.

XXXII.

Ipso quidem iure, vt solutione, acceptilatione, notatione, contrario consensu.

XXXIII.

Exceptionis verò ope, aut per pactum de non petendo, aut per restitutionem scripturæ, aut per exceptionem temporis, aut doli, aut metus, aut rei iudicatæ.

XXXIII.

Per multum autem interest, aliquem liberari ipso iure aut ope exceptionis.

XXXV.

Nam si quis ipso iure liberetur: omnis extinguatur obligatio, tam civilis, quam naturalis.

XXXVI.

Sin verò ope exceptionis: tollitur quidem obligatio naturalis: sed remanet civilis: quæ per exceptionem demum eliditur: eaque nisi opposita fuerit: sententia super ea lata, si in rem iudicatam transferit, valet.

PROBLEMA.

Precarium an sit contractus, nec nẽ

V. IDVS IANVARII. M. D. LXXVIII.

Paulo Hartliebico cog. Vualspornio, respondente.

Duodecima disputatio.

DE STIPVLATIONE.

PROBLEMATATA.

I.



Itne idem stipulatio, & verborum obligatio?

II.

Sitne stipulatio à stipulo, vel stipite: an potius

ij

DISPUTATIONVM.

us à stipe denominata? quorum illud Iustiniano, hoc Var-
roni placuit.

III.

Stipulatio vtrum sit diuidua, an indiuidua?

IIII.

Certané duntaxat, an etiam incerta stipulatio esse
possit?

V.

Possitné quis alteri stipulari? & possitné quis alienum
factum rité promittere, nec ne?

VI.

An plurium rerum stipulatio valeat? & vtrum tot sint
stipulationes, quot res?

VII.

Possitné rerū impossibiliū esse stipulatio, aut obligatio?

VIII.

Sitné stipulatio necessitatis caussa introducta? & vtrum
ea, tanquàm firmissimum quoddam vinculum, omnibus iuris
gentium contractibus opponatur, nec ne?

IX.

Possitné omni obligationi accedere fideiussor, an non?


NON. FEBRVARII. M. D. LXXV.

Martino Fabro Mœdlingano respondente.

Decima tertia disputatio.

DE PRIVATIS DELICTIS.

I.

bligacionis verbum tam ad delicta, quàm ad
conventiones refertur.

II.

Nam etsi is, qui delinquit, ex consensu suo nō
obligatur: tamen ex facto suo obligatur.

Sed

III.

Sed delictorum alia sunt Publica, alia Priuata.

IIII.

Aut enim læditur Respublica: aut homo priuatus.

V.

De publicis iudicijs aliàs: nunc de obligationibus, quæ propter delicta priuata contrahuntur, videndum.

VI.

Quarum omnium contrahendarum modus est vnus: res scilicet, id est, maleficio: cuius poena non Reipub., sed priuato alicui debetur.

VII.

Species autem priuatorum delictorum sunt quatuor: Furtum, Rapina, Iniuria, Damnum.

VIII.

Furtum est fraudulenta rei alienæ, vsus ué, aut possessionis eius, contrectatio, lucri faciendi gratia.

IX.

Cuius poena olim, si quidem manifestum foret, quadrupli: si uerò nec manifestum, dupli fuit: vtraque in vsu iam esse desijt: posteaquam crimen hoc publicum esse coepit.

X.

Sed præter actionem furti, aduersus furem quidem, cõdictio: aduersus possessorem uerò, rei vindicatio datur.

XI.

Rapina est violenta rei alienæ contrectatio, dolo malo, & animo iniuriandi facta.

XII.

Itaque furtum improbum à Iuliano nominatur: cuius poena est intra annū, quadrupli: in quo & simplum inest: post annum uerò, simpli.

H. iij

DISPUTATIONVM

XIII.

Quaquam in genere, vbi furti actio, propter facinus occultum: ibi vis bonorum raptorum actio, propter apertum conceditur.

XIIII

Iniuria est, quæ aut pulsatione corpus, aut conuicio aures, aut turpitudine vitam alterius violat.

XV.

Cuius actio non solum civilis, ad litis æstimationem: sed & criminalis, ad poenam extraordinariã, constituta est.

XVI.

Idque pro dignitatis, personæque ratione: ex qua crescit, aut diminuitur iniuriæ æstimatio.

XVII.

Damnum est, quod culpa alicuius, sine dolo, datum est. Cuiusmodi sunt cædes, & vulnera serui, aut pecudis, aut alterius cuiusque animalis: aliudque detrimentum quoquo modo rebus nostris iniunctum.

XVIII.

Cuius poena est æstimatio non solum corporis, quantissimi eo anno, aut mense fuerit: verum etiam causæ, & eius quod interest.

XIX.

Quod si quis damnum à se datum neget: in duplum datur hæc actio: atque ita lis inficiando crescit.

XX.

Pertinent ad delicta priuata, etiam quasi delicta: quum quis scilicet magis ex alieno quam suo facto obligatur.

XXI.

Cuius generis est obligatio de effusis, & deiectis: quibus si alicui nocitum sit, in duplum actio datur.

XXII.

Pœna verò damni infecti est decem aureorum: quoniam
am

am publicè interest: per itinera sine metu, & periculo com-
meari.

XXIII.

Sic in nautam, & cauponem, & stabularium, dupli actio
datur: si culpa eorum, quorum utitur ministerio, dam-
num alicui allatum sit.

XXIII.

Quin & iudex, malè per imprudentiam iudicans, & li-
tem suam faciens, quasi ex delicto obligatur: & arbitraria
pœna mulctatur.

XXV.

Cæterùm ut delictum aliquod committatur: legem
cum facto concurrere oportet.

XXVI.

Nam ubi non est lex, nec est transgressio.

XXVII.

Per multum autem interest, spontè, an inuitus quis pec-
cet: & utrum dolo, an culpa, casuque fortuito.

XXVIII.

Siquidem in maleficijs voluntas spectatur, non exitus.

XXIX.

Furtum enim sine affectu furandi, & iniuria sine animo
iniuriandi, non committitur.

XXX.

Pœnas verò ob maleficia solui, magna suadet ratio.

XXXI.

Nam, ut Plato ait, *ἰατρικὴν γίνεταί ποινὴς ἢ δίκης.*

XXXII.

Itaque non solum civiliter, sed & criminaliter priuata
delicta, non minus ac publica crimina, extra ordinem per-
sequi licet: excepta vna lege Aquilia de damno, Contra
Accursium, & Bartolū, & alios quosdam Iuris interpretes.

Sed.

DISPUTATIONVM

XXXIII.

Sed hæ tamen actiones simul intendi non possunt: quippe altera alteram consumit: nec æquum est, idem delictum pluribus legibus vindicari.

PROBLEMA.

An de crimine pacisci, aut transigere liceat, nec ne?

IDIB. APRILIS. M. D. LXXVIII.

Theodorico Hesso Ulmense respondente

NICOLAI REVSNERI
IVRISCONSULTI DISPUTATIO.

num. Juris Civilis.

LIBER III.

Prima disputatio.

QVAESTIO.



Um omnibus ætatibus inuenti sint homines: qui non modò formulas actionum, sed omnem iudiciorum vsum damnare, & labefactare ausi fuerint: operæ precium esse videtur, disputandi studio quærere: An litigare iudicio licitum sit, nec ne?

POSITIO. I.

Actiones non modò iustas, sed etiam vtilis, & necessarias esse, planè, simpliciterque concludimus.

II.

Nam si potestas ciuilis est res sancta, & legitima, & à Deo

Deo approbata: eius autē potestatis multo maxima pars sunt ipsa iudicia: profectò actiones, quæ iudiciorum præscribunt formulas, & sanctas, & Deo placentes, humanoque generi vtilis, necessariasque esse consentaneum est.

III.

Esse autem Deum auctorem non modò potestatis illius, cuius in nisterio redduntur actiones. verum etiam iudiciorum, quibus omne ius continetur: tam diuini, quam humani iuris auctoritate comprobatur.

III.

Dei enim opus est, imperij, iudicijque administratio: quando non pro homine, sed pro Deo ipso iudicia exercet magistratus: qui idcirco Dij nominantur: quod Diuina auctoritate præditi sint: & publicæ honestatis, innocentiaque defensores, ac vindices: vt & bonos tueantur: & malos coerceant.

V.

Quam ad rem opus est adminiculo iudiciorum: quæ certam continent regulam, & normam iudicandi: secundum quam lites, & controuersia hominum decidantur, atque componantur.

VI.

Finis verò iudiciorum est, vt suum cuique ius tribuatur: litesque terminentur auctoritate magistratus: quæ priuatim componi semper nequeunt.

VII.

Nec aliud sanè quicquam est iudicium: nisi legitima controuersia apud iudicem tractatio, atque dijudicatio: quæ causam, litemque determinat: cui nihil est tam inimicum: quàm vis, atque iniuria: quæ si dominetur: e xtingui ius necesse est, id est, iudicia: quibus omne ius continetur.

VIII.

Quòd si necessitatem actionum, commoditatemque

DISPUTATIONVM

spectemus: eam profectò tantam esse reperiemus: vt sine his omnis non modò ciuitas: sed etiam genus hominum vniuersum, & rerum natura ipsa: vix vllò modo constare posse videatur.

IX.

Nam sint actionibus, & iudicijs contractus exerceri, & ad legitimum exitum perduci nequeunt: quorum tanta est necessitas in vita: vt his veluti neruis quibusdã, & vinculis contineatur societas, & communitas hominùm: quã iniuriã atque inæqualitas distrahunt & labefactant.

X.

Neque sine his vlla aut honesta disciplina constitui: aut pax publica, & tranquillitas conseruari: aut suum cuique saluum, & incolume permanere potest: præsertim in tanta prauitate hominum, & cupiditate: quippe quos sui, quàm alieni commodi plerunque studiosiores, mutuò semet ipsos circumscribere, ac decipere solere videmus.

XI.

Itaque remedio actionum opus est: quæ sunt vincula quædam, & præsidia legum omnium, & totius societatis ciuilis: quarum præcipua causã est: vt res per eas licito modo repetantur: non priuata cupiditate: sed interposito officio iudicis, aut magistratus: ad vitandam omnem violentiam, a que iniuriam: quam iura vehementer oderunt.

XII.

Profunt autem actiones non modò litigatoribus: sed etiam iudicibus: illis quidem, vt causas melius proponant: his vero, quo maiore cautione ferant sententias: nisi malè temereque iudicando, litem suam facere velint.

XIII.

Minimè igitur dubitandum est, actiones honestas, & Reipub. vtilis esse: præsertim si ijs rectè vtantur homines, ad salutem suam, & ad dignitatem Reipublicæ.

XIIII.

XLIII.

Quod si aliquando contingit, ut actionibus nonnulli utantur in fraudem aliorum hominum, adeoque ipsius iustitiæ: causa non in re ipsa, sed in vitio est hominum: quam in nullo genere bonorum aliquid sit tam rectum: in quo vitium non reperiatur: res autem probè instituta non temerè aboleri debeat: si quis ea malè utatur: secundum rescriptum Iustiniani Imp. in Cod.

PROBLEMATATA.

I.

An ad agendum quis cogi possit, nec ne?

II.

Liceatne alteri alterum iudicio decipere, tanquam inimicum, & aduersarium suum? & an bonus sit dolus, quo hostem decipimus?

III.

Iudex vtrum ex conscientia, an secundum edita in lite instrumenta iudicare debeat?

NON. SEPTEMBRIS M. D. LXXV.

Jeremia Reusnero Leorino respondente.

Secunda disputatio.
DE POENA TEMERE LI-
gantium.

I.

Reipublicæ benè, rectèque constitutæ argumen-
tum est paucitas litium, & controuersiarum fo-
ensium: & pacis, concordiaque inter ciues cõ-
stans quædam, & perpetua ratio.

II.

Quam ad rem adiumenti plurimum adfert, non modò legum facilitas, & perspicuitas: sed & grauitas quædam, &

I ij

DISPUTATIONVM

Seueritas in iudicādo, & in litigādi temeritate coercenda.

IIII.

Leges enim ambiguae, contrariaeque pariunt multas cō-
trouersias, æque atque securitas litigādi, sine magno sum-
ptu, & absque vllō periculo calumniatorum.

IIII.

Itaque veteres Iurisconsulti magnam tūm in legibus
explicandis: tūm in litibus minuendis, reprimendisque,
curam, & diligentiam adhibuerunt: quò & Rempub. à per-
perpetuis eiusmodi contentionum molestijs liberarent:
& amicitias inter ciues quàm maximè diuturnas, atque
immortales facerent.

V.

Fuit quæ præclarum populi Romani institutum: vt prius
quàm ligatores in ius venirent, opera amici alicuius hono-
raria vterentur: qui experiretur, num intra priuatos parie-
tes controuersiam illam disceptare posset: quod si res hoc
modo non componeretur: tunc vadimonium promitte-
bant, mutuò litigatores: deinde conuento iudice, aut spon-
sione, aut sacramento, aut compromisso inter se certabāt.

VI.

Et quoniam infinita est hominum cupiditas & peruer-
sitas in persequendis litibus: tametsi bonam, iustāque cau-
sam quandoque non habeant: optima ratione prouisum
est à sapientibus legislatoribus: vt litigandi audacia, & te-
meritas, partim mulcta, partim iuramento calumniæ,
partim infamiæ metu coerceatur.

VII.

Primum enim & rei, & actores, & aduocati calumniam
iurare coguntur: id est, se non animo calumniandi, sed bo-
na fide, & ex animi sui sententia litigare.

VIII.

Deinde si appareat calumnia: præter turpitudinem per-
iurij,

Iurij, etiã mulctæ locus fit: quæ ex inficiatione reo crescit cumque, qui calumniosè actionem intendit, in sumptus litis, condemnat.

IX.

Quod si in turpibus causis quis præuaricatus sit: infamia notatur: veluti, si furti, rapinæ, iniuriarum quispiam: vel damnatus, vel pactus sit, infamis efficitur.

X.

Sed & pro socio, itemquæ directa actione tutelæ, mandati, depositi damnatus, ignominia notatur.

XI.

Cæterum nulla ex contractu pactio facta ignominiam affert: quoniam ex his causis nõ tam turpis est pactio, quàm ex delicto.

XII.

Atque hæc quidem omnia pro veteri calumniæ actione: introducta sunt: qua victus victori decimam litis pendebat.

XIII.

Fuit verò apud alias quoque gentes grauis mulcta statuta calumniatoribus, non pecuniaria solùm: sed & vexatio corporis: id quod apud Athenienses his verbis declaratur: *ὅτι γὴν παδάγ, ἢ ἀπορίσαι.*

XIII.

Quin & apud hos de calumnia iurabant litigatores: & actoris quidem iusiurandum *δωμοσία*: rei verò *ἀντωμοσία* dicebatur.

XV.

Omnium autem actionum principium, & fundamentum est, in ius vocatio: quam sequitur actionis editio, & postulatio.

PROBLEMA

An iudici pecuniam mutuam sumere liceat, nec ne?

XIII. KAL. XBR. M. D. LXXV.

Aegidio Voitho Neagoræo respondente.

I. iij.

DISPUTATIONVM
Tertia disputatio.
DE EDENDA ACTIONE.

I.

Fundamentum omnis litis, & iudicij est, actionis editio.

II.

Quæ quidem fit conceptione libelli: in quo stylus curiæ, & cuiusque loci consuetudo maximè obseruata est.

III.

Libellus est breue scriptum, claram & perspicuam actoris, contra reum intentionem continens.

III.

Estque duplex, ciuilis, qui & conuentionalis dicitur: & criminalis, qui & accusatorius nominatur.

V.

Sed libellus vt futuræ litis speciem demonstraret: trium personarum notationem habere debet: nimirum actoris, rei, iudicis.

VI.

Præter has personas alia tria continere debet: factum, ex quo agitur: causam, siue medium concludendi, & petitionem, siue conclusionem.

VII.

Quæ tria respondent tribus partibus Syllogismi Dialectici: Propositioni, Assumptioni, Complexioni.

VIII.

Itaque nou incommodè fortassis libellus à Jurisconsultis syllogismus iudicialis nominatur.

IX.

Quanquàm verò olim necessaria fuit solennitas quædam, & conceptio verborum, in edenda actione: ea tamen optimo consilio sublata est: sed necessitas edendæ actionis in suo usu relicta: in qua sufficit hodiè facti ipsius expositio,

ex

ex cuius accidentibus natura totius actionis in lucem e-
mergere queat.

PROBLEMA.

Vtrum libellus emendari, mutariue possit, an non?


XXV. KAL. DECEMBREIS M. D. LXXIII.

Iacobo Zebelio Lauingano respondente.

Quarta disputatio,
DE ACTIONIBVS.

PROBLEMAT.

I.

 Sitné actio iuris, an facti?

II.

Sitné actio iuris gentium, an ciuilis?

III.

Persecutio vtrum actionis nomine contineatur, necné?

III.

Persequi iure idém ne sit, quod persequi iudicio, aut
contrá?

V.

An actione duntaxat persequi liceat id quod sibi, non
etiam, quod alteri debetur? & vtrum actiones sint tantum
priuatæ? an etiam publicæ quædam, & populares?

VI.

An verbo debendi omnis actio, tam in rem, quam in
personam data, comprehendatur, necne?

VII.

Sitné actio ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur?

VIII.

An & quibus casibus, pluribus concurrentibus actio-
nibus vti liceat?

NONIS MAII, M. D. LXXV.

Huldriche Steibero Bipontino respondente.

DISPUTATIONVM
Quinta disputatio
DE ACTIONIBVS TAM IN REM,
quàm in personam ciuilibus,
& prætorijs.

I.



ctionum genera sunt duo: in rem, quæ dicitur vindicatio: & in personam, quæ condictio appellatur.

II.

Quarum illa ex dominio: hæc verò ex obligatione oritur.

III.

In rem actio est, per quam petimus rem nostram, quæ ab alio possidetur.

III.

Ea aut est ciuilis, aut prætoria.

V.

Ciuilis quidè, vt rei vindicatio, confessoria, & negatoria.

VI.

Quarum prima dominium rei alicuius: cæteris verò duabus aut seruitus, aut libertas prædij vindicatur.

VII.

Prætoria verò, vt actio Publiciana vtraque, & Pauliana & Seruiana, & quasi Seruiana, quæ & hypothecaria nominatur.

VIII

Per quas plerūque aut quasi dominium, aut ius in re specificum, à possessione alterius vindicari solet.

IX.

Præter has sunt aliæ quædam in rem actiones: quæ partim sunt ciuiles, partim prætoriarum: & præiudiciales dicuntur: quibus status alicui controuersia mouetur.

Earum

X.

Earum verò sunt tres species : vna de statu libertatis: altera de iure patronatus: postrema de partu agnoscendo.

XI.

In personam actio est, qua cum eo agimus, qui nobis obligatus est, ad dandum aliquid, aut faciendum.

XII.

Quæ & ipsa aut est ciuilis, aut prætoria.

XIII.

Ac ciuiles quidem in personam actiones sunt omnes ex obligatione aliqua ortæ.

XIIII.

Cuiusmodi est actio Mutui, Commoditati, Depositi, Pignoris: item Empti, Venditi, Locati, Conducti, Mandati, Pro Socio, ex stipulatio, & de non numerata pecunia: quæ actiones omnes ex varijs cõtractuum generibus nascuntur.

XV.

Quò etiam refertur actio tutelæ, & negotiorum gestorum, & cõdictio indebiti, & nonnullæ aliæ.

XVI.

Sunt & ex maleficijs quædam actiones in personam iure ciuili proditæ: vt actio furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, & legis Aquiliæ.

XVII.

Sed ex quasi maleficijs actio in factum datur, etiam hæredi: at non in hæredem.

XVIII.

Prætoriæ verò in personam actiones sunt, vt de peculio, de iureiurando, de pecunia constituta, aliæque cõplures.

XIX.

Pertinent eodẽ actiones pœnales, ex edicto prætoris institutæ, vt de albo corrupto, & de in ius vocando, & de in ius vocato non exempto, & id genus aliæ.

K

DISPUTATIONVM

XX.

Sed non solum ex contractu, & maleficio nostro, verum etiam aliorum, & filiorumfam. & seruorum, aliquando datur in personam actio prætorix.

XXI.

Ex contractu quidem, vt actio quod iussu & exercitoria, & institoria, & tributoria, & de in rem verso.

XXII.

Ex maleficio verò, vt actio noxalis in seruos: itemque de pauperie, id est, damno à quadrupede, quæ cicurum numero sit, alicui dato.

XXIII.

Sanè præter has sunt etiam actiones quædam mixtæ: quæ tam in rem, quàm in personam dantur: vt actio familiaris eriscundæ, communi diuidundo, Finibus regundis.

XXIII.

Ex quo genere est quoque actio, siue petitio hæreditatis: quæ etsi in rem datur: habet tamen præstationes quasdam personales: vt puta eorum, quæ à debitoribus sunt exacta, & preciorum.

XXV.

Sunt verò omnes hic actiones aut bonæ fidei, aut stricti iuris.

XXVI.

Bonæ fidei quidem, vt in rem actiones omnes, & pleræque ex contractu ortæ.

XXVII.

Stricti verò iuris, vt actiones ex maleficijs natæ: itemque contractuum illæ, vt mutui, depositi, exstipulatu, & pauca quædam aliæ.

XXVIII.

Sed & arbitrariæ quædam actiones tam in rem, quàm in personam appellantur.

In

XXIX.

In rem quidem, vt Publiciana, Seruiana, hypothecaria.

XXX.

In personam verò, vt actio ad exhibendum, & quod certo loco, & quod metus causa, & si quæ sunt aliæ.

XXXI.

Cæterùm omnis actio aut rei, aut poenæ, aut vtriusquæ causa comparata est.

XXXII.

Pœna verò aut est simpli, aut dupli, aut tripli, aut quadrupli.

XXXIII.

Sed nulla actio poenam quadrupli excedit: aut plus quadruplo, quàm quanti res est, exigi permittit: quamuis per se, atque ex litis æstimatione aliquando multiplicetur.

PROBLEMA.

An iudicia omnia sint absolutoria?

Sexta disputatio.
DE INTERDICTIS.

I.

Actionum nomine etiam interdicta continentur.

II.

Aquæ quidem nihil aliud sunt, quàm formæ, atque conceptiones verborum: quibus Prætor aliquid fieri iubet aut vetat.

III.

Itaque ab interdicens sic dicta sunt, id est, decernendo aut certè prohibendo: per excellentiam scilicet: ex parte maiore.

IIII.

Solent autem interponi edicta maximè de ijs rebus: quæ quum alicuius momenti sint, ad magistratus cognitio-

K ij

DISPUTATIONVM

nam potius quam ad iudicis disceptationem pertinent.

V.

Et tam de rebus diuinis, quam humanis.

VI.

De rebus quidē Diuinis, vt de loco sacro, de mortuo, inferendo, de sepulchro faciendo.

VII.

De rebus verò humanis, aut, publicis, quæ sunt nullius: vt de locis publicis, de vijs, de fluminibus.

VIII.

Quò etiam pertinent interdicta de libero homine exhibendo, & de liberis exhibendis ducendisue.

IX.

Aut de rebus priuatis, quæ alicuius sunt in bonis: vt de possessionibus: quarū sanè interdicta sunt varia, atque multiplicia.

X.

Nam possessio omnis aut acquiritur, aut defenditur, aut repetitur.

XI.

Sic interdicta aut adipiscendæ, aut retinendæ, aut recuperandæ possessionis causa proponuntur.

XII.

Adipiscendæ quidem, vt, Quorū bonorum, & Salui-
num interdictum.

XIII.

Retinendæ, vt interdictum vti possidetis, & vtrubi.

XIIII.

Recuperandæ verò, vt interdictum vnde vi, & quod vi, aut clàm.

XV.

Cæterum interdicta omnia aut prohibendi, aut iubendi causa comparata sunt.

Iubetur.

XVI.

Iubetur autem aut restitui aliquid, aut exhiberi.

XVII.

Ex quo interdictorum alia sunt prohibitoria, alia restitutoria, alia exhibitoria.

XVIII.

Eaque vel simplicia, vel duplicia.

XIX.

In his parvtriusque ligatoris est ratio, & conditio: in illis verò non, vno scilicet actore postulante, & reo in iudicium semper postulato.

PROBLEMA.

An pendente iudicio petitorio, agi possessorio liceat, nec ne?

Septima disputatio.

DE PUBLICIS IUDICIIS.

I.

Iudiciorum alia sunt publica, alia priuata.

II.

Iudicia publica sunt, quæ sunt Reipublicæ.

III.

Priuata verò, quæ rei priuata: vt si iniuria homini priuato illata sit.

IIII.

Magna autem diuersitas est vtrorumque, & in constituendo, & exercendo.

V.

Sed de priuatis iudicijs aliàs dictum est: nunc de publicis videndum.

VI.

Quæ ex eo dicta sunt: quod cum Reipub. iniuria fiat, cuius de populo agere liceat.

DISPUTATIONVM

VII.

Et partim sunt capitalia, partim non capitalia.

VIII.

Capitalia sunt, quorum poena aut mors est, aut deportatio, aut metallū: Tot enim modis caput, id est, ciuitas adimitur.

IX.

Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria aut in corpus aliqua coercitio poena est, quàm infamia comitatur.

X.

Prioris generis sunt, crimen perduellionis, parricidij, homicidij falsi, peculatus, plagij, vis publicæ, adulterij ambitus.

XI.

Posterioris verò, crimen stupri, repetundarum, annonæ, residui, vis priuatæ.

XII.

Perduellionis crimen est, si quid hostili animo factum est contra Imperatorem, & Rempublicam. Eius poena est, ex lege Iulia, mors, & memoriæ post rei mortem damnatio, & bonorum eius publicatio.

XIII.

Parricidium est parentis, aut cognati alicuius nefaria occisio. Poena eius est ex lege Pompeia: vt reus culeo infusus cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia in profluentem deiciatur.

XIIII

Homicidium est cædes extranei quoquo modo facta, siue veneficio, siue telo. Cuius poena est mors: & ex lege Cornelia, deportatio, omniumque bonorum ademptio.

XV.

Peculatus est pecuniæ publicæ, aut sacræ furtum: Cuius poena est mors, lege Iulia, si quidem ab eo factum est, cuius periculo fuit: Sin verò ab alio deportatio.

Plagium

XVI.

Plagium est hominis liberi pro seruo retentio: Cuius poena est pro ratione delicti aliàs mors, aliàs in metallum damnatio.

XVII.

Falsi crimen est, aut instrumenti, scripturae, aut mensurae monetariae alicuius deprauatio: Cuius poena est ex lege Cornelia in seruo quidem mors: in libero verò homine deportatio, & omnium bonorum publicatio.

XVIII.

Vis publica est, quae armis fit adhibitis: Prinata verò quae sine armis. Poena illius ex lege Iulia, est deportatio: huius verò multa triennis bonorum.

XIX.

Adulterium est, quod in nuptam: stuprum verò quod in virginem, aut viduam committitur. Poena illius ex lege Iulia est, mors: huius verò, si humiles sint personae virgarum verberatio, & relegatio: si honestae, semissis bonorum publicatio.

XX.

Ambitus crimen est appetitio honorum, & dignitatum inordinata, per corruptelas interuenientes. Cuius poena est interdum deportatio: interdum multa centum aureorum.

XXI.

Repetundarum crimen est, si magistratus interuertit, aut res, aut pecunias in officio, & administratione sua expulauit: siue dolo, siue vi id fecit. Cuius poena est restitutio quadrupli.

XXII.

Annonae crimen est, quando quis facit, ut annona carius vendatur: cuius poena est multa viginti aureorum.

Residui

DISPUTAT. IUR. CI. LIB. III.

XXIII.

Residui crimen est, cum id quod superest ex rationibus
administrationis alicuius, in priuatum vsum conuersum est:
Cuius poena est restitutio accepti in simplum, cum parte
eius tertia.

XXIIII.

Cæterum ad publica crimina hodiè etiam refertur fur-
tuum: cuius poena est ex nouis legibus, si quinque solidos exce-
dat, laqueus: sin minus, castigatio, aut relegatio.

FINIS,

NICOLAI REVSNERI
Iurisconsulti Politicarum disputa-
tionum Lib. I.



ARGENTORATI
Excudebat Nicolaus Vvyriot.
M. D. LXXIX.

AD MAGNIFICVM VI-
RVM, VIRTUTE, DOCTRINA, ET AV-

*toritate præstantem, Huldricum Sitzingerum,
Consiliarium Cesareum, ac Palatinum, Nico-
lai Reusneri Præfatio.*

Multum & fructus, & delectationis af-
fert consuetudo disputandi: præsertim
si argumenta sint earum rerum, quæ
vsum aliquem habent in vita: & si di-
sceptationes ipsæ moratæ sint, absq; in-
uidia, malevolentia, iracundia: quæ vitia vt Philoso-
phia indigna, ita summo studio cauenda sunt. Opus
est igitur delectu: ne Sophistarum more *λεπιστολογῶν, καὶ
περικαπνῶ σενολεχῶν* discamus: opus etiam æquitate
& facilitate morum: vt & refelli sine pertinacia, &
refellere sine morositate simus parati. Quam ob
causam disputationum plura genera in hac schola in-
stituta sunt: non modo classicarum, quæ humanio-
rum sunt artium: sed etiam publicarum, quæ ad ma-
iores disciplinas pertinent. Quibus ego superiori an-
no adiūxi disputationes Ethicas: quæ virtutes conti-
nent, & officij, & bene viuendi disciplinā: quæq; ado-
lescentum iudicia informant de rebus expetendis, &
fugiendis. Eas ad te mitto, vir amplissime: vt & studiū
laboremq; nostrum in ornanda re literaria testatum
faciam,

PRAEFATIO.

faciam: & cum meam erga te obseruantiam, tum scho-
le vniuersę gratam officiorum memoriam declarem.
Quam opellam nostram vt in optimam partem acci-
pias: & dignitatem meã tibi commendatam habeas,
maiolem in modum te rogo. Vale. Lauingæ. Idib.
Septembr. M. D. LXXIIII.

MAGNIFICO VIRO, ET
OMNI LAVDE VIRTVTIS DOCTRI-
næ, sapientiæ præstantissimo D. Gualthero Drechselio
Iurisconsulto, & Cancellario Palatino, Domino &
Patrono omni studio, officioq; colendo
IEREMIAS REVSNERVS LEORINVS
S. P. D.

Dilosophiæ moralis disputationes, ante
quinquennium in lucem editas: deside-
ratas iam diu: & à plurimis hæctenus ex-
pectatas: quum in publicum iterũ emit-
tere, & in manus hominum venire vel-
lem: vnà cum auctario locupletissimo variarũ iuris
ciuilis disputationum: equidem patronum huic o-
peri inprimis mihi quærendum putauit: à quo & au-
toritatem, & dignitatem, gratiamq; sibi aliquam cõ-
pararet. Nemini enim sub id tempus, quo antè edi-
tus fuerat: Dei Opt. Max. consilio, è viuis tunc euo-

L ij

P R A E F A T I O .

eatum fuisse sapientissimum, & eloquentissimum Iu-
 rilconsultum, Huldricum Sizingerum, Consiliariū
 Cæsareum, & Palatinum: quem honoris, & memo-
 riæ causa nomino: cui initio libellus iste inscriptus
 quidem: sed subita morte præuento, minimè fuit
 traditus: ita vt dominum, & auctorem hæctenus
 nō mutarit suum. Quem sanè virum humanissimū,
 & doctissimum, quoniam & amore, & officio tibi
 coniunctissimum fuisse intelligo: spero equidē, vel
 planè potius confido: eiusdem libelli dedicationem
 multis de causis tibi non ingratham, iniucundamq;
 futurā: partim ob defuncti memoriā, vt dixi: partim
 verò ob auctoris ipsius, fratris mei germani, sum-
 mam & perpetuam erga te obseruantia, & charitatē:
 quem & amicitia, & affinitate tibi coniunctum esse
 non ignoro. Accipe igitur, Magnifice vir, Patrone
 colende, libellum hunc æquo, vt soles, animo: &
 pro singulari tua humanitate, & sapientia boni con-
 sule: neque ex munere animum: sed ex animo mu-
 nus æstima. Vale. Calen. April. M. D. L X X I X .

43

NICOLAI RÈVSNERI
IVRISCONSULTI POLITICARVM

disputationum.

LIBER PRIMVS.

Prima disputatio.
METHODVS VNIVERSAE DOCTRINAE
moralis summaria, & compendiosa.



POSITIO I.

Thica est ars, seu ratio benè viuendi.

II.

Sic dicta ἀπὸ τῶν ἠθῶν, id est, à moribus: quòd vitam, & mores hominis informet.

III.

Partes eius, Moralis, Ciuilis, & Domestica. Quarum prima homines priuatos, altera bonos ciues, tertia bonos patres familiàs informat, atque instituit.

IIII.

Officium eius est, mores hominum rectè informare ad benè beatequè viuendum.

V.

Finis, benè beatequè viuere.

VI.

Consistit autem benè beatequè viuendi ratio in scientia bonorum & malorum.

VII.

Bonum est, quod ab omnibus expetitur: & quoquo modo ad naturæ statum, & incolumitatem conducit.

VIII.

Malum, quod naturæ inimicum, & noxium est.

L. iij

DISPUTATIONVM

IX.

Bonorum, vt & malorum, tria sunt genera, animi, corporis, & fortunæ.

X.

Quæ partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur.

XI.

Honestate, ea quæ proficiscuntur à virtutibus, quæ sunt laudabilia per se: vt sunt bona animi, virtutes, & artes: & mala his contraria, vitia, & inertia.

XII.

Commoditate autem aliqua, quæ sunt in corporis, aut fortunæ bonis expetenda: vt sanitas, forma, robur, diuitiæ honores, opes, libertas, potentia, & quæ his sunt cōtraria.

XIII.

Ex his maxima sunt animi: secunda corporis: externa tertia: qui bonorum ordo in eligendi iudicio diligenter tenendus est.

XIII.

Atque horum omnium adeptione summum locum hominis in hac mortali vita constituitur: cuius definitione omnis vitæ ratio continetur.

XV.

Est autem summum bonum, quod primum, & vltimū est rerum expetendarum, cuius gratia omnia fiunt, & ex quo beatè viuendi ratio inueniri, & comparari potest.

XVI.

Est quæ nihil aliud, nisi ipsa felicitas, siue beatitudo humana: quæ omnium bonorum summa quædam est, atque perfectio.

XVII.

Et in virtutis vsu cum vitæ perfectæ prosperitate coniuncta consistit, secundum Aristotelem.

Nam

XVIII.

(Nam & alia est beatitudo cœlestis; & Diuina: quam vitam æternam sacrae literæ nominant: quæ in vera Dei cognitione, & cultu nominis, vel in ipso potius Deo, summo & vnico bono posita est.)

XIX.

Virtus enim vitæ beatæ effectrix est: quam complent bona corporis, & fortunæ.

XX.

Est autem virtus, animi habitus naturæ modo, rationi consentaneus: seu vt Aristoteles definit, est habitus voluntatis, qui in mediocritate consistit, quæ ratione personarum dicitur, ratione definitus, & vt prudens vir definiert.

XXI.

Eius genera quatuor, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia.

XXII.

Ex his prudentia est in mente, & cogitatione, scientia-que cernitur: reliquæ tres in appetitu, & voluntate, & in actione versantur.

XXIII.

Prudentia est rerum bonarum, & malarum, & vtrarum-que scientia.

XXIIII.

Iustitia est habitus animi, communi utilitate conseruata, suam cuique tribuens dignitatem.

XXV.

Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio.

XXVI.

Temperantia est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma, & moderata dominatio.

XXVII.

Quæ virtutes quatuor etsi communi quodam nexu & vinculo

culo inter se connexæ, copulataque sunt: tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur.

XXVIII.

Suntque partes plures generum singulorum.

XXIX.

Partes prudentiæ sūt, Memoria, Intelligētia, prouidētia.

XXX.

Partes Iustitię, sunt Religio, Pietas, Gratia, Vindicatio, Observantia, Veritas. Quò etiam pertinet Liberalitas, Magnificentia, Hospitalitas, Amicitia.

XXXI.

Partes Fortitudinis, Fidentia, Magnanimitas, Patientia, Perseuerantia.

XXXII.

Partes Tēperantiæ, Continentia, Clemētia, Modestia.

XXXIII.

Cæterum virtus à natura sumit initium, & doctrina adiuuatur, & exercitatione perficitur.

XXXIII.

Nam vt artium, ita virtutum omnium tres sunt causæ adiuuantes, natura, ars, exercitatio.

XXXV.

Obiectio virtutum alia sunt communia, vt voluptates, & dolores: alia cuiusque virtutis propria, vt affectus, res, oratio, in quibus omnes hominum actiones cernuntur.

XXXVI.

Forma virtutis est ipsa mediocritas, quæ inter nimium, & id quod parum est, reperitur in actionibus, atque perturbationibus, eaque bonorum, & prudentium virorum iudicio moderata.

XXXVII.

Virtus enim est medium vitiorum vtrinque reductum, vt Horatius ait. Medium dico, non rei sed personarū, quod respectu nostri dicitur.

Sic

XXXVIII.

Sic prudentiæ extrema sunt calliditas, & stultitia: Iustitiæ τὸ πλεον, καὶ τὸ μειον: Fortitudinis temeritas, & ignavia: Temperantiæ feritas & stupiditas.

XXXIX.

Finis autem virtutis est Deo, & naturæ parêre.

XL.

Nam honestas (quæ finē Aristoteles statuit) fons potius, & radix quædã esse videtur, vnde virtus omnis emanat.

XLI.

Effecta virtutis sunt salus, atque commoditas publica, & priuata.

XLII.

Est quæ virtus conseruatrix non modò speciei, sed etiam indiuidui.

XLIII.

Quam comitatur gloria, laus, honor, diuitiæ, opes, amicitia, bona fama, auctoritas, felicitas, immortalitas: cum quibus rebus perpetua quædam est virtuti societas, atque confœderatio.

XLIIII.

Quòd si aliquando secus fit: id vitio improborum hominum, non culpa ipsius virtutis fieri existimandum est.

XLV.

Aut enim ingrati vniuersi, aut inuidi multi, aut inimici potentes suis virtutem præmijs spoliant: quæ in eam collata fuerint diuinitus.

XLVI.

Enimuerò detracta omni vtilitate, sine vllis præmijs, fructibusque, se ipsa virtus contenta est: maximèque suo decore se ipsam sustentat: cui amplissimum theatrum, & præmium est conscientia rectè factorum, & præmij diuini certa expectatio.

M

DISPUTATIONVM

XLVII.

Nam & mercedem suam Deo iudice accipiet, & viuet
& semper iuuebit: neque vllum solatium maius esse po-
rest: quàm omni non modò culpa, sed etiam suspicione
culpæ vacare.

XLVIII.

Ceterum nihil magis virtuti repugnat, quàm vitiositas:
quæ est auersio voluntatis à recta ratione, vituperabiles
efficiens eos, in quibus inest: in qua meritò summa turpi-
tudo, & summum malum collocatur.

PROBLEMA.


*Cum uirtutis laus in actione consistat, secundum Aristotelem, & Cicero-
nem: opusne sit artis cognitione aliqua, an scientia nec ne?*

IDIB. SEPTEMBRIS M. D. LXXIII.

Georgio Agricola Chalarino respondente.

Secunda disputatio.
DE SUMMO BONO, SEV DE FINE
hominis.

I.

 Summa sapientia est in hac vita, vera summi
boni cognitio, qui est finis hominis: cuius de-
finitione omnis vitæ ratio continetur.

II.

Est autem summum bonum: quod extremum est re-
rum expetendarum, & finis bonorum, ad quem referuntur,
& cuius gratia facienda sunt omnia.

III.

Cuiusmodi est ipsa felicitas, siue beatitudo humana:
quæ est omnium bonorum summa quædam, & perfectio.

IIII.

Ea autem in virtute, vel potius in actione virtutis con-
sistit, teste Aristoteles.

Bea

V.

Beatus enim sine virtute nemo esse potest: in qua satis magna vis est ad beatam vitam.

VI.

Plato verò summum bonū collocat, in Idea boni, hoc est, in Dei similitudine quadam, ac diuinæ sapientiæ contemplatione, atq; perfruitione.

VII.

Dei enim, rerumq; diuinarum, & maximarum cognitio, & fons, & causa, & regula est felicitatis, beatitudinisq; humanæ: vt vetus illud dictum habet Theagis Pythagoræi.

VIII.

Quæ sententia religioni Christianæ quodammodo consentanea esse videtur: quæ docet hominem ad Dei imaginem, & similitudinem conformatum esse: quæ quidem in vera Dei per Christum filium cognitione, & sanctitate animi, iustitiaque vitæ posita est, teste Apostolo.

IX.

Sed & Aristotelis opinio, si dextrè intelligatur, veri similis videri potest: qui beatitudinem, non vt diuinum bonū est, considerat: sed quatenus in hominis potestate sita est: quæ quidem virtute potissimum nititur: quam non tam cognoscere, quàm exercere debet homo beatus futurus.

PROBLEMAT A.

I.

ἡ εὐδαιμονία ἐπαινετὸν, ἢ τὴν ἀγαθότητα;

II.

ἢ τὸ τίμιον μᾶλλον, καὶ βέλτιον ἐπαινετὸν;

V. KAL. SEPTEMBR. M. D. LXXIII.

Ioanne Heupelio Solisbachio respondente.

Tertia disputatio.

M ij

DISPUTATIONVM
DE TRIBVS GENERIBVS
bonorum & malorum.

I.



Mnis benè honesteque viuendi ratio in sci-
entia bonorum, & malorum consistit.

II.

Est autem Bonum, quod secundum na-
turam est, quo in vita iuuamur.

III.

Malum verò, quod naturæ est contrarium, & noxium,

IIII.

Quod vtrumque non vnum, & simplex est: sed diuersū,
& multiplex, ex doctrina philosophorum.

V.

Omne enim bonum, malumue refertur aut ad animum,
aut ad corpus, aut ad res externas.

VI.

Ita tria sunt genera bonorum, & malorum maxima ani-
mi: secunda corporis: externa tertia.

VII.

Ex his quædam per se, & sua vi expetenda, fugiendaue
sunt, vt est bonum honestum, & malum turpe, quod in a-
nimo conspicitur, quædam propter aliud, vt bonum vti-
le, & iucundum: & mala his contraria, quæ ad corpus, &
fortunam pertinent.

VIII.

Cæterùm animi bona, & mala sunt, vt virtutes & vitia,
artes inertia.

IX.

Corporis, vt sanitas, forma, robur, velocitas: & quæ his
sunt contraria.

X.

Fortunæ, vt genus, educatio, diuitiæ, potestates, gloria,
clientelæ,

clientelæ, amicitia, & id genus alia, eaq; quæ his contraria dicuntur.

XI.

Quorum omnium bonorum adeptione, summum bonum hominis in hac mortalitate constituitur, quæ felicitas, siue beatitudo humana Aristoteli nuncupatur: id est, omnium humanorum bonorum summa quædam, & perfectio, aolutioq; : cuius definitione omnis vitæ ratio continetur.

XII.

Sicut è diuerso horum omnium malorum, quæ diximus, concursus, & veluti cumulus, summum malum perficit: cuius pars maxima, & præcipua est vitiositas, siue turpitude: quæ reliqua mala omnia præponderat, quouis periculo, & damno grauior, atque intolerabilior.

PROBLEMATATA

Iuridica.

I.

Sitne bonorum appellatio alia civilis, alia naturalis e?

II.

Bona utrum à beando denominata sint e?

III.

Quenam in bonis nostris naturaliter, quæ civiliter esse dicantur e?

IX. KAL. OCTOBR. M. D. LXXIII.

Ioanne Ortelio Cygnocomæo respondente.

Quarta disputatio.

DE ORIGINE ET CAUSIS

virtutis.

I.



Vm virtus, secundum Aristotelem, summum bonum esse dicatur: non tam quòd solidam felicitatem contineat, aut ipsa vita beata sit: quàm

M iij

DISPUTATIONVM

quòd dux, & quasi via sit ad vitam beatam: merito virtutis origo nobis inuestiganda est: vt sciamus, qua via, & ratione ad virtutem peruenire: eiusque adeptione felicitatis humanæ quodammodò compotes fieri queamus.

II.

Qua de re magna inter Philosophos dissensio est: quorū alij virtutem natura ingenerari, alij vsu constare docent.

III.

Sed nos Aristotelem secuti, virtutis humanæ causas efficientes ponimus, mentem, & voluntatem hominis: quarum illa docet, & explicat, quid faciendum, fugiendumque sit: hæc mentis & rationis imperium exequitur, actionesque suscipit: quod cum fit, hoc est, si ratio præsit, appetitus obtemperet: virtutem inde effici necessum est.

IIII.

Vt autem actio virtutis recta, & perfecta sit, tribus rebus potissimum opus est, natura, doctrina, & exercitatione.

V.

Virtus enim à natura sumit initium: cuius maxima vis est in omnibus actionibus: & sunt ingenijs nostris semina quædam innata virtutum: quibus & moueamur, & impellamur ad honestas & salutare actiones.

VI.

Eam autem naturam rectè cum Platone Deo acceptam referimus: qui *θεῖαν τινὰ μοῖραν, καὶ φύσιν ἐνμοιρίαν* requirit *εἰς τὸ γίγνεσθαι τοὺς καλοὺς καὶ γαθοὺς τῶν ἀνδρῶν.*

VII.

Plurimum verò natura adiuuatur doctrina, & recta institutione: quam idcirco Isocrates appellat *προκατασκευὴν πρὸς ἀρετῇ*, id est, præparationem quandam virtutis.

VIII.

Quæ enim bona sunt, fieri meliora possunt doctrina: & quæ non optima, aliquo modo acui tamen, & corrigi possunt.

Exercita-

IX.

Exercitatione autem, & usu, recteque viuendi consuetudine virtutem perfici, cum experientia ipsa testatur: tum legislatorum auctoritas, qui disciplinam iuuentutis legibus sanxerunt, & moralium virtutum appellatio satis aperte conuincit.

X.

Ex quo perspicuum est, virtutis actionem perfectam, quæ quidem ex mente, & voluntate hominis proficiscitur, minimè positam esse in solis naturalibus causis: sed etiam flagitare rationem, & disciplinam: quarum rerum omnium connexio non modò virtutem, sed etiam cæteras res, atque artes in vita perficere solet.

PROBLEMAT A.

I.

Sitne ars dux certior, quàm natura, & plùsne ad laudem atque uirtutem natura sine doctrina, quàm sine natura ualeat doctrina?

II.

Positne uirtus esse ociosa, & an meritò derisus fuerit Aristoteles à Stoicis, cum in Ethicis dixisset, uirtute præditum dormire posse, ut nihil ageret: atque ita beatam uitam, quæ in actione uirtutis, naturæ consentanea, consisteret, effugeres?

XI. KAL. IXBR. M. D. LXXIII.

Paulo Boclino Augustano respondente.

Quinta disputatio
DE LIBERTATE VOLVNTATIS,
seu arbitrij hominum.

QVAESTIO.



Um maxima pars felicitatis humanæ in uirtute posita sit: quæ in mente & voluntate hominis conspicitur: rectè à Philosophis quæsitum est:

M iij

DISPUTATIONVM

utrum actio virtutis in nostra potestate sit: & vt Aristoteles loquitur, ἀ ἀρχὴ ὁ ἀνδρωπῶς;

ENUNCIATIO I.

Liberam superesse homini, licet satis infirmam, in externa disciplina, & regendis moribus voluntatem: & virtutū, atq; vitiorum actiones in potestate eius esse, vnā cum Aristotele, Philosophorum principe, firmiter asserimus.

II.

Est enim voluntas nihil aliud, nisi facultas quaedam, per quam liberè, quicquid mens, & intelligentia hominis, vel bonum, vel malum iudicauerit, eligimus, aut auersamur.

III.

Libertatem verò eius ostēdit primū rerum ipsarum delectus, quem voluntas facit: cū penes vnumquemq; sit libera consulendi, & agendi potestas.

IIII.

Deinde manifestum est, causas, & principia actionum bonarum, & malarum, in nobis esse: quippe quæ neq; fortuitæ, neq; necessariae sint: sed in arbitrio, & voluntate cuiusq; positæ: cū fortuna incertorum euentuum sit: neq; eodem modo ab omnibus omnes actiones necessariò suscipiantur.

V.

Quò accedit commune omnium hominum iudicium: quo laudantur, & præmia merentur actiones honestæ: & vituperantur, atq; puniuntur turpes, vbiq; locorum & gentium.

VI.

Itaq; legislatores ipsos distinguere videmus inter voluntaria, & non voluntaria: tū ad honores benè meritis de Repub. decernendos: tū ad supplicia in improbos constituenda.

VII.

Voluntas enim actiones distinguit: ita, vt, quicquid nō fiat vo-

fiat vo-

fiat voluntariè, nullam mereri laudem, aut vituperationē videatur.

VIII.

Præterea Philosophi distinguunt inter actiones voluntarias, & eas, quæ per imprudentiam ab ignorantibus, aut etiam necessitate quadam ab inuitis suscipi solent: itemq; inter eas, quas mixtas vocant, id est, neq; liberas, neq; omnino coactas: quarum non est similis apud eos animaduersio, atq; dijudicatio.

XI.

Cui rei argumento sunt etiam leges, & constitutiones diuinæ, atq; humanæ: quæ & imperant honesta, ac laudabilia: & vetant, ac prohibent contraria: quorum vtrunq; frustrâ fieret, si actiones fortuitæ essent, aut simpliciter necessaria.

X.

Ex quibus perspicuum est, falsam esse Stoicorum sententiam: qui docent voluntatem hominis necessariò connexam esse cum causis antecedentibus: quippe quæ & in Deum contumeliosa, & bonis moribus perniciosa, & sibi met ipsa repugnans, & contraria est.

PROBLEMATATA.

I.

Sitne libertas naturalis? & utrum contra naturam sit seruitus an non sit?

II.

Positne quis erga seipsum esse iniurius? an saltem iniustus? quorum illud voluit Plato, hoc Aristoteles.

XVIII. KAL. DECEMBRIS M. D. LXXIII.

Ioanne Leto Lauingano respondente.

Sexta disputatio.

DE AFFECTIBVS.

Problemata Ethica.

N

DISPUTATIONVM

I. *et est.*



Sintne affectus naturales, an voluntarij: vel, ut Stoici docent, opiniones duntaxat boni, & mali?

II. *et est.*

Sintne affectus appetitio animi, & ex quo genere appetitionum?

III.

Sintne cor sedes affectuum? & possitne sine notitia affectus existere?

III. *et est.*

Sintne omnes affectus suo genere vitiosi, & contra naturam.

V. *et est.*

Sintne affectus obiectum virtutis? & an frigeat virtus sine satellitiq; affectuum?

VI.

Vtrum possint, & an debeant affectus omnes ex natura tolli, atq; extirpari?

PROBLEMATVM

Iuridica.

I.

An furtum sine affectu furandi, & iniuria sine animo iniuriandi committi possit, nec ne?

II.

Sintne uera Canonistarum quorundam sententia, qui contendunt, cum, qui ui, & impetu quodam affectuum peccat, excusationem quodammodo à delicto mereri?

PRID. IDVS DECEMBRIS. M D LXXIII.

Jeremia Reusnero Ecorino respondente.


Septima disputatio.

DE

DE MATERIA ET

obiectis virtutis.

QVAESTIO.

 Vm finis virtutis sit actio, quæ in re aliqua obiecta potissimum conspicitur: non abs re fuerit, disputandi studio quærere: quodnam sit obiectum virtutis? v el quænam sit materia, circa quæ, & in qua virtus moralis versatur.

POSITIO. I.

Virtutum obiecta alia communia esse dicimus, alia cuiusq; virtutis propria.

II.

Communia sunt ea, quæ vniuerso generi virtutum conueniunt: cuiusmodi sunt voluptates, & dolores: in quibus moderandis omnis virtutis versatur.

III.

Nam & propter voluptates, res turpes prosequimur: & propter dolorẽ res honestas negligimus: & vtroq; horum omnes actiones in vita metimur.

IIII.

Itaq; permagni refert ad habitum virtutis acquirendũ: quibus voluptatibus, aut doloribus à prima statim infantia quis assueuerit: cùm non eadem voluptates, ijdemq; dolores viro bono, & malo semper conuenire soleant.

V.

Propria verò ea dicuntur, quæ vnicuiq; virtutum generi singularia sunt.

VI.

Quorum tria genera sunt, secundum Aristotelem: nempe, affectus, res, & sermo: in quibus rebus omnis actio humana cernitur.

DISPUTATIONVM

VII.

Sunt enim virtutum aliae moderationes affectuum, vt fortitudo, mansuetudo, temperantia: aliae mediocritates rerum, vt iustitia, & liberalitas: aliae gubernatrices sermonis, ac linguae, vt urbanitas, comitas, veritas.

VIII.

Sed quanquam haec vera, & rationi consentanea sunt: tamen expeditior, atq; illustrior esse videtur ea doctrina, quam lex diuina proponit. Ea autem duo tantum facit obiecta virtutis: Vnum principale, quod est Deus, qui & affectu, & sermone, & re ipsa colendus est. Alterum minus principale, nempe hominem, siue proximum, in quem eadem ratione virtus, & charitas exercenda est: vt neq; verbis, neq; factis, ac ne cogitatione quidem ipsa à nobis letatur, siue in bonis corporis, siue externis: vt sunt vitae incolumitas, parentes, liberi, familiae, coniuges, honores, potestates, fortuna, copia, diuitiae, fama, honos, gloria, & id genus alia.

PROBLEMAT.

I.

Sitne voluptas bonum, an non?

II.

Sitne voluptas bonum in genere, an in specie? an sit summum bonum, an non? Quorum illud Eudoxus, hoc Aristoteles asserit.

V. ID. IANVARII. M. D. LXXIII.

Michaelis Meiero Lauingano respondentis.

Octaua disputatio, DE MEDIOCRITATE

virtutum.

I.



Vm inter omnes habitus animi nullus melior, aut praestantior sit, quam virtutis: mediocritate quadam laudabili eam moderatum esse, consentaneum est.

Medius.

II.

Medius enim habitus in omnibus laudem meretur: vel
vt Græci loquuntur, μέσση ἔξις ἐν πᾶσι ἐπαυετη.

III.

Neq; vlla virtus suum nomen, & munus tueri potest: nisi
si modus, qui & est inter nimium, & id, quod parum est, ob-
seruetur.

III.

Omnis igitur virtus est mediocritas: vel, vt Alcinous
dixit, in medietate vitiorum posita est virtus.

V.

Est autē Mediocritas, secundum Aristotelem, duorum
vitiorum, vnius, quod ex nimio: & alterius, quod ex eo,
quod parum est, nascitur.

VI.

Ea cum duplex sit, vna rei, altera personarum: quarum
illa Arithmetica, hæc Geometrica proportione constat:
in virtute mediocritatem hanc posteriorem, quæ respectu
nostri dicitur, non etiam priorem illam inesse oportere sta-
tuimus.

VII.

Neq; enim virtus rē suscipit propter rem: sed propter
seipsam, aliòsue, vt benè sibi suisq; sit.

VIII.

Ea autem nec superat, nec deserit id, quod adesse oportet:
nec vna, eademq; est omnibus, propter diuersitatem
personarum: vt non idem medium est temperantiæ in ho-
mine sano, & ægroto: & liberalitatis in paupere, ac diuite.

IX.

Atq; huius quidem mediocritatis inuentio est difficilissima:
itaq; maxima animi prudentia in inuestigando opus est.

X.

Sed quò facilius modum in actionibus, & perturbationibus
tenere possimus: tribus his fortassis rationibus qua-

DISPUTATIONVM

stantenus consequemur.

XI.

Primum, si à vitio, quod magis contrarium est, declinemus: & extra fumum, atq; fluctus, exemplo Calypsus Homerica, navigationis cursum dirigamus.

XII.

Deinde si ad eius vitij contrariū enitamur, ad quod maximè natura propendemus.

XIII.

Postremò si voluptatem, tanquàm scopulum, vitemus: omnemque ab ea appetitum coerceamus.

XIII.

Quòd si omnino seruare modum nequeamus, satius est, citrà resistere, quàm vltra progredi, secundum præceptum Isocratis.

XV.

Mediocrum enim vis sapius in eo, quod parum quàm in eo, quod nimium est, cernitur.

XVI.

Sed hoc tamen non est perpetuum: quippe cum nonnullæ etiam virtutes reperiantur: in quibus excessus medio propior est, ipso defectu: vt in fortitudine liberalitate: & cæteris.

XVII.

Cernendum est itaque diligenter, ne ea nos fallant vitia quæ virtutem videntur imitari: quæ omnia item vt contraria rerum bonarum in rebus vitandis reponenda sunt.

XVIII.

Cæterum non omnis actio, perturbatioque mediocritatem recipit.

XIX

Sunt enim quædam simpliciter, & suapte naturæ vitiosa vt in perturbationibus, malevolentia, inuidia, impudentia:

tia:

tia: in actionibus, furtum, adulterium, cædes: cum hæc aliorum mediorem extrema sint: & extremorum non magis media: quàm mediorem extrema.

XX

Quæ autem per se, & vi sua non sunt mala: sed respectu circumstantiarum rectè, aut non rectè fieri dicuntur: ea omnia mediocritatè in se quandam recipere manifestum est.

PROBLEMATATA

Iuridica,

I.

Sitne dissidentibus inter se Iuris prudentum opinionibus, media uia in disceptando eligenda.

II.

An iudicandi munus iuris, & legum imperitis mandari possit.

III.

Verumne sit, quod Iurisconsulti docent, in iudicando æquitatem quæ πλάττει querendam esse.

III. KAL. MARTII. M. D. LXXIII.

Dauid Craftero Augustano respondente.

Nona disputatio.
DE VIRTVTVM DIVISIONE,
ac partibus.
QVAESTIO.

VM omnis virtus à recta ratione oriatur, quæ vna & simplex esse dicitur: nec vna tamè, eadèq; sint officia virtutum, quæ ex hac profluunt: sed varia, & diuersa, pro cuiusq; virtutis natura, & diuersitate rerum, quibus accommodatur: operæ precium esse videtur, disputandi studio quærere: Sitne vna duntaxat virtus vniuersa, an multiplex? & si multiplex, quæ sint eius partes, ac genera?

N. iiij.

DISPUTATIONVM
CONCLUSIO.

I.

Vnam esse, & simplicem virtutem, quod ad originem eius attinet, id est, præscriptam cuique à recta ratione actionem, secuti auctoritatem veterum Philosophorum, sine vlla dubitatione concludimus.

II.

Vna enim & simplex est ratio, quæ virtutis procreatrix dicitur, quæ eam ob causam & recta ratio, & rationis perfectio definitur: neque ea in partes alias, seu formas secari commodè potest.

III.

Sed ex hac tamè vna, & simplice ratione, quæ est virtus, veluti è fonte quodam, omnes rectæ rationes, omniaque officia fluunt: quarum diuersa sunt nomina, pro diuersitate rerum, quibus accommodatæ sunt.

IIII.

Hinc varia, & multiplex illa virtutum distinctio apud Philosophos: quam alij bipartitam, nonnulli quadripartitam, quidam etiam parium complurium esse volunt.

V.

Cæterùm nos Platonem, & Aristotelem secuti, virtutis vim vniuersam duplicem esse statimur.

VI.

Aut enim scientia cernitur virtus, aut actione.

VII.

Quæ scientia pollet vna, ea prudentia nominatur: & in mente, cogitationeque hominis posita est: cuius munus est in vero exquirendo.

VIII.

Quæ verò in agendo cernitur: eius sunt tres partes, vt iustitia, vt fortitudo, vt temperantia: quæ in voluntate, & appetitu versantur: qui homines appellit ad agendum.

IX.

Ita qua-

Ita quatuor sunt genera virtutum, quæ principes, & cardinales nominantur, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia: partes plures generum singulorum.

X.

Atq; hæc quatuor virtutes nõ modò obiectis, sed etiam officijs inter se plurimùm differunt.

XI.

Ex his prudentia rationem hominis excolit: & in perspicacia veri, solertiaq; versatur.

XII.

Fortitudo iram moderatur, & in animi excelsi, atq; inuicti magnitudine ac robore consistit.

XIII.

Temperantia cupiditatem regit: & in omnium, quæ fiunt, quæq; dicuntur, ordine, & modo conspicitur.

XIII.

Iustitia verò tùm irascentem, tùm appetentem animi partem gubernat: & in hominum societate tuenda, tribuendoque, quod suum est cuiq;, & rerum contractarum fide cernitur.

XV.

Quanquam verò inter hæc virtutum officia permul-
tùm interesse videatur: tamen communi quodam nexu,
& vinculo inter se vicissim eæ continentur: & amabili quo-
dam consensu, ac veluti concordia, ad vnum scopum om-
nes collineant, & quasi conspirant.

XVI.

Prudentia enim rationes agendi præscribit: quas obser-
uat iustitia, fortitudo defendit, modestia retinet: qua qui-
quidem mutua communicatione operarum, peruenitur
ad finem virtutis, qui est salus, & felicitas vitæ, tam publi-
cæ, quàm priuatæ.

O

DISPUTATIONVM
APPENDIX QVADR

partita.

I.

Virtutum alie sunt necessarie, alie non necessarie.

II.

Alie Heroicæ, alie communes.

III.

Alie yungu, alie adungu.

III.

Alie religionis, alie humanitatis propriae, & quasi peculiare. Quarum illa nos coniungit cum Deo: hæc cum hominibus: Que postrema diuisio in lege diuina aperte traditur: ex qua optima, & rectissima uirtutum distributio suo loco recte sumitur.

III. ID. MARTII. M. D. LXXIII.

Christophoro Zchemanno Narisco respondente.

Decima disputatio.
DE PRVDENTIA.

I.



Sim nulla virtus prudentia vacare possit: quippe quæ dux, & moderatrix est omnium actionum bonarum, & ars quædam, ac magistra viuendi: quæ præscribit, quid faciendum sit: & mediocritatem reliquarum virtutum omnium inuestigat: visum fuit de hac virtute pauca quædam capita ad disputandum proponere.

II.

Est autem prudentia, rerum bonarum, & malarum, & earum, quæ in his mediæ sunt scientia.

III.

Proprium eius officium est, vt in delectu bonorum, & malorum cernatur.

Partes.

III.

Partes eius, memoria, intelligentia, prouidentia.

V.

Memoria est, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt.

VI.

Intelligentia est, per quam animus ea perspicit, quæ sunt.

VII.

Prouidentia est, per quam futurum aliquid videtur, antè quàm factum sit.

VIII.

Nam ad prudentiæ perfectionem hæc tria necessaria esse videtur: vt & præteritorum meminisse, & præsentia rectè constituere, & futura, tanquàm è specula, prospicere discamus.

IX.

Verfatur autem prudentia circa omnes actiones, & negotia vitæ humanæ: cùm nihil agendum sit in vita, cuius causam probabilem reddere nequeas.

X.

Sed actionum aliæ sunt priuatæ, aliæ publicæ.

XI.

Ita prudentiæ vis duplex est: quæ in suis rebus, domestica: in publicis, ciuilibus appellari solet.

XII.

Prudentia domestica, est familiæ benè regendæ sciëntia.

XIII.

Ciuilibis autem, est scientia gerendæ Reipublicæ.

XIIII.

Ea vel togata est, vel bellica.

XV.

Et togata quidem, aut senatoria, aut forensis.

XVI.

Quarum illa ius publicum, hæc priuatum spectat: altera magistratum, altera Iurisconsultorum propria.

O ij

DISPUTATIONVM

XVII.

Formales prudentiæ causas, seu species Aristoteles facit *εὐβελίαν, σύνεσιν, καὶ γνώμην*, hoc est, bonum consilium, solertiam in conficiendo, & sententiam, stabilitatemque in eo, quod æquum & bonum est.

XVIII.

Neque enim satis est iudicare, quid faciendum, non faciendumue sit: sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum.

XIX.

Finis prudentiæ, est veritas, & bonitas in actionibus, vel ut vno verbo dicam, *ἡ εὐπραξία*.

XX.

Semper enim vir prudens eò respicit, ut facta rerum comparatione id eligat, prosequaturque, quod bonum est: fugi que & declinet contraria.

XXI.

Effecta prudentiæ, sunt consilia salutaria.

XXII.

Adiuncta verò, multorum commodorum perceptio, & incommodorum declinatio, decorum in omni vita, auctoritas, honores, gloria, omnium temporum præsidia, animi tranquillitas, quæ plerunque temerè factorum poenitentia grauitè perturbatur.

XXIII.

Cognata sunt, ars, scientia, intelligentia, sapientia, qui sunt habitus mentis, siue cogitationis: quibus tanquam comitibus, & adiutricibus quibusdam, in disquisitione veri, ac boni ea vtitur.

XXIII.

Pugnat cum prudentia, stultitia, siue imprudentia, quæ est expetundarum fugiendarumque rerum incertitia: quam non modò priuata, sed etiam publica incommoda, & graues plerunque poenitentia, cum stultitiæ exprobratione, consequuntur.

Est

Est & in vitio non quidem contraria, sed apposita ac propinqua prudentiæ, astutia, & calliditas: eaque remota à iustitia: quam Cicero ex sententia Platonis malitiam vocat: quæ simulatione virtutis fallit incautos: & ad nocendum, ac decipiendum homines comparata est.

XXVI.

Cæteró qui si ea cum virtute coniuncta sit, & ad bonum finem referatur: vt fit in strategematis militaribus: minimè à prudentia seiungenda esse videtur: cum ea veluti vsus sit, & πρᾶξις quædam prudentiæ.

PROBLEMATATA

I.

Rectène Epicarmus dixerit: nervos, atq; artus sapientiæ esse, non credere?

II.

Sitne tempus omnium sapientissimum, ut Simonides uoluit: an potius insipientissimum, atq; inertissimum, ut Paroni cuidam Pythagoreo placuisse testis est Aristoteles?

III.

Sitne consilium res periculosas: & rectène fraudulentum consilium iure civili puniatur?

XV. KAL. MAIAS. M. D. LXXIIII

Michaele Fendio Monhemio respondente.

Vndecima disputatio. DE IUSTITIA.

I.

Vm multa, & varia sint iustitiæ officia: quæ ad hominum societatem, vitæque communionem pertinent: adeò vt sine hac nec Respublica, nec ciuitas, nec domus vlla constare possit: operæ precium facturi sumus, si de virtute omnium præstantissima iustitia hoc tempore disputationem instituerimus.

O iij

DISPUTATIONVM

II.

Eam habitum esse definimus, quo homines propensi sunt ad agenda, quæ iusta sunt: quoque ea & agunt, & uolunt.

III.

Cuius proprium est, hominum societatem tueri: & suum cuique tribuere, & fidem in contractibus seruare.

IIII.

Ea duplex est, vniuersa, & priuata.

V.

Iustitia vniuersa, est obtemperatio scriptis legibus, institutisque populorum.

VI.

Estque custos quædam legum, & æquitatis, & humanæ societatis conseruatrix: qua qui præditi sunt, iusti, & viri boni nominantur.

VII.

Ea autem omnem in se virtutem complectitur: vel ipsa potius tota, ac perfecta est virtus, id est, virtutis perfectæ erga aliam vsus.

VIII.

Quæ nulla alia ratione à virtute vniuersa differt: quàm quod hæc secum sola agit, & habentem duntaxat respicit: illa verò ad alios refertur, & commune bonum spectat: unde ἀλότριον ἀγαθόν ab Aristotele vocatur.

IX.

Eius partes sunt Lex, & Aequitas.

X.

Et Lex quidem est recta, & à natura insita ratio, imperans honesta, prohibensque contraria.

XI.

Aequitas verò, legis, & legitimi iuris correctio quædam ac moderatio.

XII.

Huc pertinent tria illa summa iuris capita, ac principia:
Honestè

Honestè viuere, Alterum non lædere, Suum cuique tribuere, ad quæ omnis penè vis legum, & interpretatio referenda est.

XIII.

Iustitiâ priuata est constans, & perpetua voluntas, suum cuique tribuens.

XIIII.

Est quæ pars virtutis, non tota virtus: & à iustitiâ vniuersa, vt species distat à genere.

XV.

Et in contractibus, ac delictis corrigendis, & in officijs ac honoribus distribuendis versatur, ad æqualitatem omnia reducens.

XVI.

Cuius duæ partes sunt, vna Commutatrix, altera Distributrix.

XVII.

Commutatrix est, quæ in rerum contractarum fide versatur: & sine discrimine personarum sequitur eam æqualitatem, in qua simplex proportio Arithmetica esse dicitur: quatenus scilicet id rerum, & contractuum natura patitur: fidei, ac perfidiæ vindicatrix.

XVIII.

Quæ quidem æqualitas media est inter damnum, & lucrum.

XIX.

Lucrum enim, boni plus, & minus mali: damnum autem; mali plus, & boni minus; vtrunque inæquale, & iniustum dicitur.

XX.

Huc pertinent contractus, siue obligationes omnes, quas Aristoteles συναλλάγματα in genere vocat.

Eorum.

DISPUTATIONVM

XXI.

Eorum alij sunt voluntarij, alij non voluntarij.

XXII.

Voluntarij, vt venditio, emptio, mutuum, fideiussio, commodatum, depositum, locatio, & conductio.

XXIII.

Non voluntarij, qui sunt partim clandestini, vt furtum, adulterium, beneficium, lenocinium, plagium, per insidias allata nex, falsum testimonium: partim violenti, vt verbera, vincula, mors, rapina, debilitatio, maledictum, contumelia.

XXIII.

Distributrix iustitia est, quæ in præmiorum poenarumque distributione versatur: in qua & personarum, & officiorum rationem habet: & Geometria proportione constare dicitur.

XXV.

Et tam ad priuatos homines, quàm principes, & magistratus pertinet: cum eadem sit ratio iustitiæ in hominibus priuatis, quæ est in toto corpore Reipub.

XXVI.

Cuius partes sunt religio, pietas, obseruantia, veritas, vindicatio, gratia: quibus virtutibus omnis iustitiæ ratio continetur.

XXVII.

Quod etiam referri debent liberalitas, magnificentia hospitalitas, amicitia: quæ sub eiusdem virtutis rationem cadere videntur.

XXVIII.

His ita præmissis, de causis iustitiæ priuatæ deinceps videndum est.

XXIX.

Eam partim natura, partim consuetudine constare asserimus.

XXX.

Natura quidem, quod ad principium eius attinet: cum omnes homines ad iustitiam, cuius fons & radix est recta ratio, natos esse manifestum sit.

Consue-

XXXI.

Consuetudine verò, quòd vis illa naturæ insita, ratione & usu societatis humanæ confirmanda sit.

XXXII.

Sedes eius, est animi pars illa, quæ bruta, & rationis experta est: quam *θυμὸν, καὶ ὄρεσις* Græci appellant.

XXXIII.

Obiectum verò, omnes actiones humanæ, quæ vel publicum, vel priuatum commodum spectant.

XXXIII.

Quòd ad formam eius attinet: iustitia est mediocritas, non quidem rationis, vt in fortitudine, & temperantia, sed rei ipsius: quæ æqualitas nominatur.

XXXV.

Cuius extrema sunt *ἡ πλεονεξία τῶν ἀγαθῶν, καὶ ἡ μειονεξία τῶν κακῶν.*

XXXVI.

Nam qui iniuriam facit, plus boni consequitur: qui accipit minus: in malo autem contrà.

XXXVII.

Nam minus malum, comparatum ad maius, boni rationem obtinet. Est enim minus malum magis expetendum maiori: expetendum est autem bonum, & magis, maius.

XXXVIII.

Atque hæc quidem mediocritas iure ciuili circumscripta est: quod in æqualitate conseruanda versatur.

XXXIX.

Itaque ad iustitiam peruenire non possumus, nisi iure æquitateque cognita.

XL.

Imbuendus est igitur animus præceptis Philosophiæ moralis: quibus vberior legis naturalis explicatio continetur.

P

DISPUTATIONVM

tur: & iuris cognitione excolendus: vt in omnibus vitæ negocijs iustitiam colere possimus.

XLI.

Idque hoc magis, quòd iuris ignorantia neminem excuset: & in omni negotio detrimento fa sit.

XLII.

Finis iustitiæ est, diuinum obsequium, & æqualitatis, societatisque humanæ conseruatio: quam inæqualitas, & iniuriæ distrahunt.

XLIII.

Effecta verò, ipsa æqualitas, & felicitas in re publica, & priuata.

XLIII.

Cui adiuncta sunt, bona conscientia, honos, gloria, denique omnium hominum amor, laus, admiratio.

XLV.

Cognata iustitiæ est *vep̄rois*, id est indignatio: quæ dolet improborum, & indignorum hominum successu, ac rebus secundis: cùm boni viri officium sit, iustitiæ inseruire, & improbos affligere, secundum Comicum.

XLVI.

Nihil autem magis repugnat iustitiæ, quàm iniustitia, quæ omnem iniuriam complectitur: quæ quidem aut infertur Reipublicæ, aut singulis hominibus; tùm leges violando: tùm iniquè siue commutando, siue distribuendo.

PROBLEMATÀ.

I.

An ius in natura sit, an in more?

II.

Sitne ius, quod maiori parti sit utile?

III.

Iniuriám ne facere peius sit, quàm accipere?

XVI. KAL. IUNIAS. M. D. LXXIIII.

Magno Agricola Sueuo respondente.

Duodecim.

Duodecima disputatio.

DE FORTITVDINE.

I.

Fortitudo est cōsiderata periculorum susceptio,
& laborum perpeſſio.

II.

Cuius munus eſt, res externas deſpicere, &
magnas adminiſtrare.

III.

Eius partes, magnanimitas, fidentia, patientia, perſe-
uerantia.

IIII.

Magnanimitas eſt rerum magnarum, & excelsarum cum
animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione agitatio,
atque adminiſtratio.

V.

Fidentia eſt, per quam magnis, & honeſtis in rebus mul-
tum ipſe animus in ſe fiducia certa cum ſpe collocauit.

VI.

Patientia eſt honeſtatis, aut vtilitatis cauſa, rerum ar-
duarum, ac difficilium, voluntaria, ac diuturna perpeſſio.

VII.

Perſeuerentia eſt in ratione benè conſiderata ſtabilis, &
perpetua permantio.

VIII.

Oritur autem Fortitudo partim à voluntate, partim ab
iraſcente animi facultate: quippe cum ira ſit coſ fortitudi-
nis: quana voluntas obediens conſilio, rationique mode-
ratur.

IX.

Materia autem, circa quam verſatur, ſunt omnes res, que
& confidentiam, & terrorem in animis hominum excita-
re poſſunt: quæ ſunt vno verbo bona, & mala: quatenus

DISPUTATIONVM

scilicet ea supra hominis vires posita esse non videntur.

X.

Sed in ijs tamen, quæ terrorem afferunt, magis occupata est fortitudo: maximè verò in oppetenda morte pro patria: quæ vt grauiissimum, ita pulcherrimum periculum esse censetur.

XI.

Is enim demum fortis dicendus est: qui nec morte, nec ijs rebus omnibus, quæ mortem minitantur, quoquomodo afficitur, aut perturbatur.

XII.

Sed non solùm publicis in rebus, verùm etiam priuatis, fortitudinis ratio cernitur,

XIII.

Vnde fortitudo quædam publica, quædam priuata nominatur.

XIIII.

Publica est, quæ res arduas, magnas, atque vtilis gerit domi, & militiæ, sine vlllo metu laborum, & periculorum.

XV.

Est quæ bipartita, Bellica, & Togata.

XVI.

Quarum illa in decertandi, hæc in decernendi ratione consistit: vtraque ad rem publicam gerendam necessaria.

XVII.

Priuata verò, animi in vtrauis fortuna, atque iniuria moderatio est.

XVIII.

Nam & res aduersas sapienter ferre, & secundas æquabilitate quadam moderari, fortis animi, magnique ducendum est.

XIX.

Est & hæc virtus, vt cæteræ, mediocritas quædam inter nimium & parum: nempe inter timiditatem, & confidentiam

tiam: quæ sunt duo extrema vitia fortitudini contraria.

XX.

Nam & temerè desperare, propter ignauiam: & nimis confidere, propter cupidatem, vtrunque in vitio ponendum est.

XXI.

Qui autem ea, quæ oportet, & cuius rei causa oportet, & vt oportet; metuit, aut etiam in his confidit, is meritò fortis dicitur.

XXII.

In primis verò cum iustitia congruere debet fortitudo: sine qua non modò non virtus, sed potius immanitas quædam, omnis humanitatis expultrix, censenda est.

XXIII.

Nihil enim honestum esse potest, quod iustitiæ vacat officio.

XXIII.

Finis fortitudinis, secundum Deum, est honestas, & utilitas publica, atque priuata.

XXV.

Consequentia verò, laus, & præmia rectè factorum, & viri fortis longè amplissimum, & magnificentissimum nomen: quo nihil homini carius, aut amabilius esse potest.

XXVI.

Quanquam fortes viri non tam præmia sequi solent rectè factorum, quam ipsa rectè facta.

XXVII.

Cognata fortitudini, est audacia: quæ eatenus bona est, quatenus ratione, & consilio regitur: mala verò, quatenus prudentiæ, & constantiæ aduersatur: & sua magis cupiditate, quam communi vtilitate impellitur.

XXVIII.

Et ea re vitium est, & fortitudinis quædam inepta, & stulta simulatio: quæ cum virtute & sapientia non commiscetur: nec quicquam cum ea commercij habet: hominum stultorum, & improborum propria.

P H

DISPUTATIONVM
PROBLEMATĀ.

I.

Fortitudo an doceri possit, nec nec

II.

Sitne bellum gerere licitum, an non sit

III.

An fides hosti data seruanda sit

XIII. KAL QVINCTIL. M. D. LXXIII.

Ioanne Rabo boio respondente.

Decima tertia disputatio.

DE TEMPERANTIA ET

Modestia.

I.



Temperantia est rationis in libidinem, atque in
alios non rectos impetus animi, firma, & mo-
derata dominatio.

II.

Eam Græci σωφροσύνη vocant, quasi σώφρα καὶ φρόνησις,
secundum Platonem: id est mentis, atque intelligentiæ
conseruatricem.

III.

Cuius proprium est, moderari voluptates, easque rati-
oni obediens efficere.

III.

Partes eius, Continentia, Clementia, Modestia.

V.

Quarum vna cupiditatum, altera perturbationum, ter-
tia dictorum, & factorum, omniumque gestuum corpo-
ris moderatrix quædam esse dicitur.

Conti-

VI.

Continencia est virtus, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur.

VII.

Eius formæ, Castitas, Abstinencia, Sobrietas, Frugalitas.

VIII.

In his prima, & postrema libidinis, & sumptuum: duæ mediæ cibi & potus moderationi student: quantum & honestas, & natura ipsa patitur.

IX.

Clementia est virtus, per quam animus temerè in odium alicuius inuentionis concitatus, comitate retinetur.

X.

Ea potissimùm iram moderatur, omnesque in se virtutes humaniores, ac mitiores complexa est: cuiusmodi sunt æquitas, humanitas, misericordia, benignitas, facilitas, indignatio.

XI.

Modestia est virtus, per quam pudor honestus claram & stabilem comparat auctoritatem.

XII.

Et in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine, & modo versatur.

XIII.

Cuius generis sunt virtutes illæ, vt verecundia, humilitas, docilitas, urbanitas, affabilitas, comitas, taciturnitas, cultus denique & ornatus corporis decens, ac moderatus.

XIII.

Quæ vno decori nomine omnes continentur: quod ita naturæ consentaneum est: vt in eo moderatio, & temperantia appareat, cum specie quadam liberali.

XV.

Modus enim est optimus, decus ipsum tenere, nec progredi longius: qui quidem ad omnem usum, cultumque vitæ transferendus est.

XVI.

Porro

DISPUTATIONVM

Porro temperantiæ via omnis oritur ex ea parte animi, quæ voluptate corporis alitur: ex qua omnes cupiditates nascuntur.

XVII.

Materia eius, sunt voluptates corporis, præsertim eæ, quæ homini sunt cum belluis communes: & in gustu, aut tactu posite sunt.

XVIII.

Sed circa dolores versatur temperantia: eos scilicet, qui ex absentia voluptatis percipiuntur: quandoquidem ipse quoque appetitus cum dolore coniunctus sit.

XIX.

Est igitur temperantia nihil aliud, quàm mediocritas, quæ in voluptatibus, & doloribus versatur, in quibus, quantum, quomodo, quando, & vbi oportet.

XX.

Finis est, obsequium Deo, & nature præstandum.

XXI.

Effecta verò, sanitas animi, & corporis: quam comitatur bona cōscientia, honesta fama, rei familiaris amplificatio, vitæ iucunditas, & beatitas, & alia commoda infinita.

XXII.

Nihil autem magis inimicum est temperantiæ, quàm in temperantia: quæ est à tota mente, & à recta ratione defectio.

XXIII.

Cuius vis duabus in rebus cernitur: in stupore, quæ est immanitas quædam in voluptatibus aspernandis: & in feritate, quæ turpis, & planè belluina est omnium cupiditatum consecratio. Prior illa in eam partem, quæ est infra modum: posterior in eam, quæ est supra modum, peccat: vtraque vitiosa, & hominis natura, præstantiaque indigna merito censetur.

Appendix

APPENDIX.

I.

Fundamentum virtutis, temperantia: καὶ ὁ δὲ κακὸν φύει
 ἢ ἀνδρὶ θεμέλια θεμένω σοφίας σωφροσύνη τε, καὶ ἐγκράτεια: vt
 sapienter disputat Socrates Xenophonteus.

II.

Incontinens homo pessimi tyranni mancipium.

III.

Vera voluptas sine temperantia, quæ est moderatio vo-
 luptatum, nulla in vita esse potest. ἢ δὲ σωφροσύνη τὰ τρυπνά
 ἀέξει, καὶ ἡδονὴν ἔτι μείζονα ποιῆι, secundum Democritum.

V. ID. IVLII. M. D. LXXIII.

Ioann Landsbergero Buchdorffio respondeote.

Decima quarta disputatio.

DE VIRTVTVM CONNEXIONE,
& differentia.

I.

Magna est uirtutum, ut & artium, cognatio &
 naturalis, quasi conspiratio: quæ communi
 quodam nexu, & vinculo inter se continentur:
 vt altera sine altera vix reperiri queat.

II.

Nam mutua est inter eas officiorū, operarumque com-
 municatio: & vt Poëta canit, Alterius sic altera poscit opē
 res, & coniurat amicè.

III.

Neque enim prudentia sine iustitia, neque iustitia sine
 prudentia, & sine vtraque fortitudo, aut modestia, nomen
 & munus suum tueri potest.

IIII.

Ex quo factum est, vt nonnulli vnam duntaxat virtutē

Q

DISPUTATIONVM

tem esse contenderint: quæ vñ se fundat in omnes actio-
nes honestas.

V.

Sed est tamen inter virtutes differentia quædam, & di-
stinctio.

VI.

Nam cum cæta copulatæ, connexæquæ sint, vt omnes
omnium sint participes, nec alia ab alia separari possit: ta-
men proprium suum cuiusque munus est, & materia pro-
pria, in qua versatur.

VII.

Sic fortitudo in laboribus, periculisquæ cernitur: tem-
perantia in prætermittendis voluptatibus: prudentia in
delectu bonorum, & malorum: iustitia in suo cuique tri-
buendo, & in societate, æqualitatequæ conseruanda.

VIII.

Ex his etiam aliæ alijs dignitate, & actione præstare di-
cuntur: vt prudentia temperantiæ, & fortitudini iustitia.

IX.

Verùm connexio illa, coniunctioquæ in omnibus vir-
tutibus minimè conspicitur.

X.

Ea siquidem in ijs duntaxat locum habet, quæ perfectæ,
& ad rationis habitum perductæ sunt.

XI.

Cuius generis sunt etiam singulares illæ, atque excellen-
tes virtutes: quas diuinas, & Heroicas Aristoteles nomi-
nat: quæ non natura homini insunt, nec doctrina compa-
rantur: sed afflatu diuino existunt in præstantibus naturis:
quarum perpauca exempla proferri possunt.

XII.

Cæterùm in vita communi simulacra potius virtutum,
quàm ideæ, & vmbra magis, quàm vera corpora cernun-
tur: in quibus non apparet tanta cognatio, & veluti con-
fusio

fusio virtutum, quæ quasi consensionem, harmoniamquæ efficiat.

XIII.

Eas autem virtutes inchoatas, & cōmunes, separatasquæ Philosophi appellant.

XIIII.

Potest enim quis, verbi gratia, fortis, & prudens esse, qui non sit iustus, & temperans, & contrà: vt omnium temporum historiæ declarant.

XV.

Referenda est autem actio quælibet ad eam potissimum virtutem: cum qua maximè consentit: quamuis reliquæ etiam partem eius aliquam sibi vindicare videantur.

PROBLEMATĀ.

I.

Sitne equalia peccata, & recte facta.

II.

An cogitationis pœnam pati quis debeat.

III.

Sitne aliquid in uita, quod liceat, quod facere non oporteat, aut deceat.

IDIB. SEXTIL. M. D. LXXIIII.

Mathia Paulo Lauingano respondente.

FINIS.

POI... I
sub...
cl...
XIII

...
XIII

...
XV

...
PROBLEMA

I
...

II
...

III
...

...

...


...

...









✓ 4

LAI

NERI

NSULTI

um Juris Ciuilib

II.

ulla continetur totius Iurispru
uatuor Libris Institu
nprehensæ.

TICARVM DISPVS

, Liber I.

RI LEORINI OPERA,

gesti, & in lucem editi.



ORATI.

colaus VVriot.

XXIX.

164
9

